JACOBI REINLEIN

CONSILIARII CAESAR. REG. ET PROFESSORIS PUBL. ORD. CLINICES MEDICAE PRO CHIRURGIS,

ANIMADVERSIONES

CIRCA

ORTUM, INCREMENTUM, CAUSAS,

SYMPTOMATA ET CURAM

TAENIAE LATAE

IN INTESTINIS HUMANIS NIDULANTIS,

CASIBUS PRACTICIS ILLUSTRATAE.

CUM FIGURIS.

Lernaeam jugulare Hydram vix tanta laboris
Taedia circumdant, Taenia quanta parit.

VIENNAE.

APUD JOANNEM GEORGIUM NOBILEM DE MOESLE.

1811.

PERILLUSTRI

MAGNIFICO AC DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO ANDREAE STIFFT

S. S. CAESAR. REG. MAIEST.

CONSILIARIO AULICO ACTUALI,

ARCHIATRORUM COMITI

INCLITAE

FACULTATIS MEDICAE PRAESIDI ET DIRECTORI, SOCIET. MED. LONDINENS. VENET. PATAV. SODALI.

etc. etc.

PERILLUSTRIS
MAGNIFICE AC DOCTISSIME
DOMINE PRAESES
ETC. ETC.

Si praesentes hasce Animadversiones Tuo consecrare Nomini audeo, hoc singulari illi, quam semper erga Te habui, observantiae, et Tuae, qua me honorasti, benevolentiae adscribas, rogo; quae etsi nihil novi, nihil Tuo Nomine dignum adferant, poterunt tamen pro testimonio valere, me illud tempus, a quo medicinae et chirurgiae Candidatis publice collegia tradidi, non sine pri-

vatis laboribus transegisse: jam dudum enim mecum constitueram, quod illos morbos, qui genus humanum cum pertinacia affligunt, ad ipsos aegrorum lectos pro viribus scrutari, et annotare velim; neque optima ad hoc praestandum occasio mihi defuit; singula autem rite digerere hucusque tot fata, et ipsae temporum injuriae retardarunt.

Accipe ergo benevolo animo

praesentem hunc conatum, si vires admiserint ulteriori labori non parcam.

Deus secundet nostra vota, et TE in conservationem AUGUSTISSIMI IMPERATORIS, A. A. que FAMILIAE, in solatium TUORUM, et in incrementum studii hippocratici quam diutissime incolumem conservet! Vale, et me annis et lucubrationibus jam fatiscentem TUIS favoribus

fulcire non desiste, iterumque vale.

PERILLUSTRIS DOMINATIONIS
TUAE

servus obsequississimus,
et devotissimus
JACOBUS REINLEIN.

PRAEFATIO.

De ortu, incremento, causis, symptomatibus, et cura *Taeniae latae* in intestinis hominum nidulantis in hoc opusculo disserere decrevi, et hoc ex eo fine, quia multo frequentius occurrit modo hic morbus, nulli parcit aetati, et formidabili symptomatum caterva illos excruciat, quorum intestinis insidet. Cum vero causae, quae ejusdem ortui favent, antiquissimae sint, et fere eaedem, quas nostris hisce temporibus observamus, non temere suspicari licet, easdem non semper cum debita solertia fuisse investigatas, neque tetra, saepe saepius etiam mira symptomata rite fuisse examinata, et cognita; nullus enim dubito, quin praevia hac cognitione historiae multorum morborum, quorum origo a fascino et diabolo fuit derivata, a me-

dicorum libris exularent; inde patet necessitas omnia penes aegros attentissime examinandi, praecipue in morbis, ubi ex causa incognita symptomata nervosa, tetra, et insolita apparent. Summopere autem hic commendo sedulam excrementorum alvinorum inspectionem, a qua, licet hoc aevo varii medici ob emunctiores nares magis delicati, quam plurimum abhorreant, certi tamen sint, tam in morbo, ubi de praesentia Taeniae est suspicio, quam in plurimis aliis hoc examen summi esse momenti, et ab hoc solo non raro veram diagnosim, certam prognosim, et securissimam viam ad eradicandum malum dependere; praecipue vero penes plebejos hoc non est negligendum; hi enim ad talia minus attenti saepe per plures menses inter varia symptomata copiosos cucurbitinos alvo excernunt; quales casus saepius observavi. Bene recordor, quod juvenis quidam medicus exterus, dum per unam alteramve septimanam Viennae demoratus est, et intra hoc tempus aliquoties nosocomium pervolavit, in patriam redux non tantum contra

nosocomium, contra medicos primarios, contra professores, sed praecipue etiam contra scholam medico-clinicam debacchatus est, cum inter plures variis morbis hic decumbentes aegros duos Taenia laborantes observasset: in critico libello *a)* idiomate germanico edito author dicit, *jucundissimus professori labor est Taenias expellere. — !* Quasivero res esset nullius momenti, si teterrimus hic hostis visceribus hominis insidet, crudelissimos ibi dolores excitat, et decantatissima remedia eludit ita, ut tot Principes commiseratione ducti non leves pecuniarum summas immolaverint ad emenda et publicanda illa arcana, quae ad expellendum hunc vermem repetitis experimentis utilia fuerunt comprobata; sed haec ipsa optimorum principum liberalitas in bonum miserorum melius collocari potuisset, si medici, dum semper nova aucupantur, illa non neglexissent, quae jam ab antiquissimis temporibus prosperrimo usu se commendarunt. Remedium Nufferianum inter arcana contra Taeniam hucusque primum fere locum meretur, et hoc ip-

sum remedium jam suasit Dioscorides *b*), haec sunt ipsius verba: *Radix filicis maris latas Taenias excutit, sumpta drachmis quatuor ex aqua mulsa, melius si cum scammonei aut veratri nigri totidem obolis c) detur, sed qui sumunt, allia praegustare debent.* Quam facile fuit D. Nuffer, qui olim chirurgus fuerat, hoc Dioscoridis remedium alia veste exornare, et sic sub specie arcani suae crumenae consulere. Dolendum! quod hisce adhuc temporibus medici non infimi nominis spurcissima hac via aurum colligere studeant: si pessimus hic hostis tantum in intestinis divitum diversorium quaereret, hi sunt solvendo; sed torquet saepius etiam pauperes, qui et rerum inopia et teterrimo morbo pressi diu noctuque ejulant, qui familiam suam sustentare impotentes spe recuperandae sanitatis obvia quaequae remedia ingurgitant, symptomata inde pejora reddunt, et sic inter singultus et lachrymas fere desperant: quis est mortalium adeo ferrei cordis, qui ad aspectum talium miseriarum non ad commiserationem, non ad lachrymas usque commove-

retur? quis non propensissima voluntate in succursum talis miseri properaret, et omnem illam medellam, quam ars et experientia in hoc morbo salutarem esse ipsum docuit, sine spe praemii, quod alioquin ipsum manet, quam promtissime adhiberet? Tristissima sors pauperum, qui in oppidis, pagis et non raro etiam in civitatibus degunt, et ejusmodi morbis rebellibus et pertinacibus sunt affecti! plerumque enim agyrtis et impostoribus se confidunt, et avaris eorumdem manibus ultimum duro labore partum numum immolant, in fine spe sua decepti. Justa et forte in emolumentum pauperum congrua lex foret, ut is, qui studio vel casu comparatum et a collegio medico approbatum contra morbum rebellem remedium possidet, habeat quidem licentiam hoc divitibus vendendi, sed hac conditione, ut teneatur hoc ipsum *genuinum* pauperibus gratis exhibere; medicus a politia constitutus determinare deberet, ubi sit indicatum, et hic etiam sinceram de effectu relationem collegio medico reddet: tali ratione divites, si perpendunt, quales cru-

ciatus omnibus licet commodis domesticis gaudentes ex suo morbo perferre debeant, misericordia ducti libenter suis sumptibus sublevabunt egenos, qui cum tormentis morbi et aerumnis domesticis conflictantur. — Si illa, quae in *Cap. I.* de ortu et incremento Taeniae attuli, quamdam approbationem merentur, honor doctissimis illis viris debetur, qui diu noctuque abditissima naturae penetralia scrutantur; horum enim vestigia hac in re pro viribus sum secutus; sin minus, humana correctio et mihi et omnibus bonis erit gratissima.

a) *Bemerkungen über das Civil-Spital, und die Vieharzneykunde, nebst eingestreuten Reflexionen über Mediziner, und Medizinal-Anstalten in Wien. Von* **. 1788.

b) *Pedanii Dioscoridis Anazarbei de materia medica Lib. VI. etc. Basileae* 1539. *Lib. IV. pag.* 389.

c) *Obolus est pondus granorum decem.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

§. I.

Magnam Taeniarum integrarum *a)* copiam expuli, et multo major esset numerus, si eas quoque in censum ducerem, quas improvidi aegri, monitorum incurii, extra anum jam pendulas digitis prehensas lacerarunt. Plerique enim una alterave ulna prominente auxilio digitorum se citius a formidabili hoc hoste liberare posse credunt; sed tamdiu decepti, quamdiu caput relinquitur in intestinis; imo incassum saepe laborat Medicus per plures septimanas, si postea partem in corpore residuam, remediis etiam summe decantatis, expellere studet; dum antea plures articuli (sic dicti cucurbitini) sponte per alvum elapsi sunt, modo arte vix unus loco movetur. Pars enim in corpore residua, cui caput adhaeret, in nodum convolvitur, et in cellulis intestinorum capite in tunicam villosam demerso, adeo firmiter et secure nidulatur, ut in ipsam medicamenta parum vel

nihil agere possint. Summa tandem inedia coactus vermis se iterum evolvit, et necessarium ad vitam sustentandam pabulum quaerit. Experimento, quod in duobus canibus institui, res clare elucescit. Utrique Taenia laboranti exhibui purgans drasticum anthelminthico remedio mistum. Praegressis pluribus evacuationibus alvinis tandem prodire incipiebat Taenia, quam ad unam alteramve palmam ex ano pendulam de industria disrupi, et licet saepius adhuc alvum deposuissent, nullum tamen amplius nec hac, nec subsequenti die frustulum in lucem prodiit. Repetitum tertia die idem remedium evacuationes alvinae secutae sunt plurimae, sed nullum de Taenia vestigium: ambo canes manserunt tristes, cibi parum appetentes. Septimo die quum secuissem priorem, qui cum continua vomituritione a triduo alvum non deposuerat, inveni in lacuna intestinorum crassorum Taeniam in globum convolutam longitudinis unius ulnae et quinque pollicum. In altero, die octava secto, saccus intestini crassi globum muco obductum exhibuit, quem ego exemtum mox in aquam tepidam immisi, solutoque muco evolventem se se Taeniam longitudinis dimidiae ulnae vidi.

a) Integras Taenias illas dico, quibus caput simul adhaeret.

§. II.

Certissimum signum latitantis Taeniae sunt prodromi cucurbitini, qui aut sponte, aut cum excrementis excernuntur, saepissime vivi, valde irritabiles, non nunquam ad sat notabilem altitudinem exilientes, qui in aqua tepida per duas tresve horas vivi possunt servari. Taenia feliciter expulsa nunquam amplius apparet cucurbitini vestigium, nisi alia adhuc lateat, vel articuli hinc inde in plicis intestinorum remanserint.

§. III.

Plures Taeniarum species hominibus familiares a variis fuerunt descriptae; frequentius occurrentes notantur.

1. Taenia cucurbitina.
2. — membranacea.
3. — lata.

Quidam historiae naturalis studiosi capita delinearunt vix non singulis speciebus propria, et in ipsis articulis characteristicam differentiam annotarunt: prae ceteris autem Taeniam *solium*, et *latam* frequentissime occurrere dicunt. Juxta asserta *Taenia solium* membranacea est, latiuscula, plerumque gryseo-albicans, articulis ex oblongo qua-

dratis, longitudine latitudine dimidia raro minore; *Taenia lata* magis plana, nivea est, articulis latioribus, substriatis, in posticis marginibus imbricatis. Dum ego Taenias integras longitudinis decem, et plurium ulnarum in uno filo cohaerentes expulerim, miratus sum saepius, quod in decursu una alterave palma *solium* praeseferret, et qui subsequebantur, cohaerentes cum prioribus articuli eadem plus minus longitudine figuram *Taeniae latae* haberent: ita ut alternando idem vermis modo *solium*, modo *Taenia lata* dici debuisset. Cum saepius hoc observassem, judicavi, utramque hanc speciem sufficienti cum ratione ad unam reduci posse. Quae idea experimento, quod cum Taenia *b)* institui, magis confirmata est. Nam cum frustum unius ulnae vermis optime pasti laminae ferreae sub moderato calore imposuissem, sensim ascendere vapor nares feriens, tandem evolvi pinquedo coepit; articulique apparere graciliores. Hoc ipso momento totum apparatum immisi in patinam ad duos pollices aqua frigida repletam. Condensata successive in aquae superficie comparuit pinquedo albescens ponderis viginti sex granorum; articuli adhuc cohaerentes verum *solium* ostendebant.

Unde ergo fit, ut quaedam Taeniae sint graciliores?

Cur una eademque Taenia in uno filo decurrens, modo latiores, modo graciliores habet articulos?

Duplex videtur subesse ratio: una derivari potest ab inaequali et mala organisatione pororum succum nutrititium excipientium, quae in innumerabili articulorum copia facile accidit; altera a depravata hinc inde hujus succi in tractu intestinali qualitate.

b) Vide cap. II. cas. XV.

§. IV.

Taenia acephala, sic dicta, quia nullum caput reperitur, cum praeter defectum capitis nulla alia differentia characteristica existat, vix novam Taeniae speciem constituere videtur. Valde probabile enim est Taeniae caput sub ipso egressu per anum, dum forte majori vi cum excrementis et flatibus in matulam exploditur, vel (quod aeque facile accidere potest) sub extractione ex matula abruptum fuisse, aut suo unco plicis intestinorum infixum remansisse. Quod si fit, Taenia novum capit incrementum. In proprium itaque dedecus gloriantur illi, qui expulsis etiam plurimis ulnis hujus vermis, si caput monstrare non possunt, integram Taeniam ejecisse se jactant.

§. V.

In plurimis Taeniis, quas integras ex hominibus expuli, et quas omnes attentissime oculo armato examinavi, semper observavi *caput tribus osculis papillaribus contiguis angulatum, et locum quarti osculi unco suppletum.* (vid. fig. II.) Provide hic uncus osculis istis junctus esse videtur; punctum enim fixum praebet papillis, ne per motum peristalticum et antiperistalticum intestinorum in sua functione turbentur; praeterea easdem etiam minitante periculo in suo situ firmas tenaculi adinstar retinet. Tali ratione etiamsi rumpatur collum, hae tres papillae per se sufficiunt, ad omne illud, quod avulsum est, resarciendum.

§. VI.

Verisimillimum est longitudinem Taeniae a capite suum capere incrementum; per efluentem nempe exinde appositionem novorum articulorum, qui utpote summe subtiles, et ob necdum evolutum organum alimentare, a capite nutrimentum capere debent. Hi articuli mox a suo ortu capiti contigui sensim sensimque magis evoluti, collum interdum longitudinis unius ulnae formant, ita, ut re-

centissime orti illos, qui paulo ante capiti vicini fuerunt, semper magis ab eodem removeant. Quo magis articuli a capite removentur, eo sensim longiores fiunt et latiores; papillae alimentares magis evolvuntur, et sic aptae fiunt ad attrahendum succum in propriam vitam necessarium. Sic articuli, qui, dum collum formarent, vix filum superarunt, subortis tot novis a capite magis protrusi, etiam evolutis organis nutriti, praeter notabilem crassitiem, longitudinem saepe quatuor, quinque, et latitudinem trium et ultra linearum adipiscuntur. Inde fit, ut aucto ob longitudinem et crassitiem pondere tandem articuli adeo facile a se separabiles rumpantur, ut saepe frustum plurium palmarum sponte per anum evacuetur. Ex his concipere licet, unde fiat, ut multi saepe per plures annos omni fere die notabilem quantitatem cucurbitinorum alvo excreverint, quin a pessimo hoc hospite fuerint liberati. Inde quoque patet, quod, quamdiu caput Taeniae in intestinis remanet, fatali progenie articuli continuo propagentur.

§. VII.

Frustum Taeniae ex ano pendulum, nisi nexus articulorum hinc inde sit nimium

tenuis, suo pondere ad facilitandum exitum aliquid contribuere posse probabile est: vidi tamen et tales aegros, penes quos frustum Taeniae ulna longius jam extra anum pependit, et miro spectaculo in pristinam speluncam remigravit. *b)*

b) Vide cas. XV.

§. VIII.

Caudam Taeniae videre nunquam mihi licuit, ut ergo dubius sim, an unquam aliquis caudam observaverit. Examinavi oculo armato tot Taenias teneras cum majoribus excretas instar fili holoserici subtiles, et omnes desinebant fine lato, truncato: caudam in Taenia jam adulta detegere multo difficilius esse autumno. Per cucurbitinos enim ano excretos admonemur de Taeniae praesentia. Ubi ergo hi, qui hujus vermis articuli sunt, in conspectum veniunt, caudam jam dudum eliminatam esse, a nemine in dubium vocari posse duco.

§. IX.

Ex dictis patet, quod organa Taeniae eo magis evolvantur, quo magis articuli a capite recedunt. In uno margine singulorum

articulorum jam evolutorum nudo oculo detegitur papilla prominens, levi pressione succum dulcem quasi chylosum stillans: in margine opposito oculo armato tenue apparet osculum; succus hic expressus nauseosus, obscurior: paulo infra hoc osculum in eodem margine porus longitudinalis est minutissimus, cui puncta parva, prominula sunt contigua, quae cel. Vogel ovula *(e)* esse asserit. Papillam itaque illam, ubi succus dulcis, lacteus exprimitur, *organum alimentare* esse dico *(a)*; osculum ex latere opposito situm, quod pressione quadam succum fatuum, nauseosum plorat *(b)*, *canalem excrementorum*; *porum* vero illum longitudinalem minutissimum paulo retro mox dictum osculum situm *organum pro excernendis foetibus* destinatum esse judico *(d)* (vid. fig. III.). Cum Taenia inter omnia in rerum natura hucusque cognita animalia sit longissimum, et ex millenis articulis compositum, quorum quilibet, quamdiu cum capite cohaeret, propria sua vita gaudet, se nutrit, ea, quae in propriam naturam assimilare non potest, excernit, ovula in suo sinu fovet, maturat, et foetus excludit: unusquisque facile perspiciet, quod copia foetuum parasticorum debeat esse innumerabilis, et quod omne animal Taenia laborans omni succo nutrititio orbatum bre-

e

marasmo contabescere deberet, nisi per ipsum motum peristalticum intestinorum, et ab excrementis Taeniam in transitu allambentibus abraderentur, et omni fere die cum alvo naturali excernerentur. Vellicando parietes intestinorum validas saepe in propriam suam ruinam diarrhoeas excitant, unde non raro de Taenia matre plures ulnae simul evacuantur. Exhibita purguntia praecipue drastica immensam quantitatem cum excrementis eliminant: nihilominus tamen fit, uti casus infra notati docebunt, ut expulsa licet Taenia matre foetus jam satis adulti in intestinis remaneant; brevi suis signis praecipue per cucurbitinorum exitum se manifestent.

§. X.

Quod plures authores internam Taeniarum structuram descripserint, notum mihi est; sed eousque penetrare saepius repetitis experimentis nec ars, nec fortuna mihi concessit. Vocavi in auxilium viros, qui exquisitissima tubulorum capillarium supellectili instructi toties in variis animalibus vasa omnis generis injecerunt; sed hic omnis labor incassum; nulla unquam per papillas injectio penetravit. Elegi aliam viam: Taeniam integram,

quam vivam expuli, imposui in aquam tepidam, cui parcam portionem lactis succo Kermesino tincti addidi; spe fretus, quod tali ratione organa hujus vermis subrubello colore imbuta eo clarius elucescerent. Temperatus gradus caloris per integrum bihorium attentissime fuit conservatus: sed habita licet omni cautella, obriguerunt successive articuli, et dum toto verme jam extincto examen institui, nihil nisi hinc inde tubum alimentarem subrubello colore tinctum observavi. Casus tandem fortuitus pro parte meo desiderio satisfecit. Foemina enim viginti quatuor annorum febri biliosa in schola clinica decumbens die morbi decima quarta frustum Taeniae palmae longitudinis bile viridescente tinctum alvo excrevit; licet in hoc frusto variae vasorum ramificationes fuerint conspicuae, multum tamen abest, ut inde de interna hujus vermis structura certum quid statuere audeam *a)*.

a) Vide cas. X.

§. XI.

Si Taenia viva expellitur, (etiam si integra non est) et statim in aquam tepidam pauca quantitate lactis mistam imponitur, saepe per duas tresve horas valde agilis est.

Si integra est, caput cum collo vix movere videtur; articuli vero latiores motu prorepunt vermiculari; dum anterior articulus se contrahit, brevior fit, crassior et largior, trahit articulum subsequentem, qui elongatur. Mox iste uti prior se contrahendo subsequentem ducit, et sic porro. Id autem notandum, quod in tantae longitudinis verme tales motus non regulariter juxta seriem articulorum, sed promiscue per totum decursum observentur: gaudet etiam motu retrogrado satis celeri, uti ex *casu XV.* patet.

§. XII.

Quae supra (§. IX.) allata fuerunt, non inanem possent excitare suspicionem, singulos Taeniae articulos propria sua vita gaudere: quilibet enim papilla alimentari, osculo pro excernendis excrementis et poro genitali est instructus. Tales articuli saepe sponte sua per anum erumpunt, per pavimentum saltant, et (uti jam dictum) in aqua tepida lacte mista per plures horas vivunt. Quare quis facile induci posset ad credendum, Taeniam ex pluribus vermibus esse compositam: si autem rem attentius examinaverit, facillime convincetur, quod Taenia sit animal unicum, et quod vita omnium articulorum, si etiam

centum ulnas concatenatione superarent, a sola communicatione cum capite dependeat. Si enim a quacunque causa frustum Taeniae in intestinis rumpitur, illa pars, quae cum capite cohaeret, vivere pergit, et per accedentes continuo novos articulos sua longitudine crescit; dum interea altera marcescit, moritur, et tandem cum excrementis eliminatur. Saepius contingit, ut, si Taenia ob varios motus et gyros, quos in intestinis facit, in nodum contrahitur, omne illud, quod circa et infra nodum est, brevi marcescat, moriatur, et per alvum plurium ulnarum longitudine excernatur; dum interea altera extremitas cum capite cohaerens vivit, vegetat, et agilis est. Inde quilibet facile arguere potest, quod, licet singuli Taeniae articuli propriam suam vitam habere videantur, iidem tamen ad vitam conservandam indigent libera cum capite communicatione, ex quo, nescio quae aura vitalis saepe per immensae longitudinis corpus propagatur, idque vegetum et agile conservat.

§. XIII.

Sensu gustus sat exquisito gaudet heluo hic; blandissimo enim chylo delectatur, et nutritur; unde potissimum sedem figit in

intestinis tenuibus. In matulis illorum, qui sine ullo praevio indicio Taeniae febribus biliosis, aut bilioso putridis laborarunt, frequenter plures ulnas sponte excretas observavi; febri superata et viribus magis erectis, dum etiam caput vermis expellere tentavi, optimis remediis nihil effeci. Rogavi tales homines, cum nosocomium desererent, ut illico ad me redirent, quamprimum Taeniae articulum observarent: sed neminem vidi redeuntem. Videtur ergo per ipsum morbum tota Taenia fuisse destructa et eliminata. Lubens concedo, quod et diaeta, et accommodata hisce morbis curandi methodus multum ad suprimendum hunc hostem potuerit contribuere: sed toties vidi, quod nec haec curandi methodus, nec diaeta hilum profuerit contra Taeniam, si humores fuerunt blandi. Neque penes illos libenter nidulatur hic parasitus, quorum humores miasmate venereo sunt inquinati; ad plures ulnas saepe sponte secessit, quin aegri remediis antisyphiliticis fuerint tractati. Ipsa superficies hujus vermis videtur esse summe sensibilis; si enim articulus vivus ano elapsus ad pavimentum cadit, exilit: si acicula leniter pungitur, aut perfricatur, illico se contrahit, et miro spectaculo in altum saltat: quod experimentis toties in schola cli-

nica repetitis observavimus. Inde facile eruendum, quaenam remedia cum energia in hunc vermem agere possint.

§. XIV.

Integram Taeniam vomitu excretam fuisse, nunqum vidi, neque quod hic vermis intestinum perforaverit, et in cavum abdominis fuerit delapsus; deberet enim hoc fieri per papillas caput formantes, quod vix possibile esse videtur.

§. XV.

Longitudo Taeniae variat. Longissimum vidi, quae a muliere militari quadraginta quinque ulnas Viennenses superans uno filo fuit excreta, et haec ab eadem foemina fuit disrupta, cum incauta inter summas anxietates credidit, quod intestina prolabantur. Residuum expellere non potui, quia nunquam amplius ipsam vidi *a)*. Si illae portiones, quae plurium mensium, interdum etiam annorum, intervallo iteratis vicibus aut per se, aut post assumpta purgantia, vel ex alia quacunque causa saepe ad ulnas decem et plures secedunt, simul in censum ducantur, tunc mirum non est, quod

practicorum quidam eliminato tandem ultimo subtilissimo frusto, cui caput adhaeret, glorientur, se Taeniam longitudinis centum, ducentarum et plurium ulnarum expulisse. Quas integras expulsas vidi, fuerunt plerumque decem, viginti, triginta ulnarum.

a) *Vide cap. II.*

§. XVI.

Neque solitarius est hic vermis; in schola clinica a medicinae candidato quatuor Taenias integras simul expuli; quarum maxima fuit viginti quatuor ulnarum, altera decem; tertia valde tenuis unius ulnae, et quarta tenuissima sub microscopio optime conspicua, decem pollicum *b)*. Puella novemdecim annorum febri gastrica laborans a duabus Taeniis integris sat notabilis longitudinis in schola clinica fuit liberata. Plures tales casus in medium proferre supervacaneum esse duco, cum unusquisque se de veritate convincere possit, si subtilissima illa filamenta, quae cum Taenia ejiciuntur, quae ego tot foetus esse dico, oculo armato examinare velit. Inde fit, ut Taenia licet integra expulsa, saepe spatio aliquot mensium vestigia novae appareant. Si Taenia jam eliminata post unum alterumve diem aliquot cucurbiti-

bitini cum excrementis secedant, non inde concludendum est, aliam adhuc restare Taeniam: facile enim hi articuli antea jam disrupti hinc inde in cellulis et plicis intestinorum nidulari potuerunt. Si vero post plures dies tales articuli vivi et alacres evacuantur, certissimum signum est, Taeniam non integram fuisse expulsam, aut aliam adhuc latere. Praeterea Taenia saepe versatur in consortio lumbricorum teretum, qui non raro cum ipsa, saepe ante, vel etiam post ejus expulsionem in conspectum veniunt.

b) Vid. cas. IX.

§. XVII.

Nulli parcit aetati insatiabilis hic famelicus. E puella septem mensium lacte materno, et pulte nutrita expuli Taeniam integram novem ulnarum *a*); saepe torquet juvenes, saepissime in aetate virili constitutos, et non raro occurrit in senibus.

a) Vide cap. II. cas. III.

§. XVIII.

Unde Taenia in corpore humano primam trahat originem, variae dantur eruditorum

sententiae. Sunt, qui semina aut ovula hujus et aliorum vermium intestinalium in corpus humanum varia ratione pervenire existimant, cui opinioni autem repugnat, quod haec animalia extra corpus animale non reperiantur. Alii vermes intestinales homini, et aliis animalibus connatos esse dicunt; sed tunc omnes homines vel saltem omnes neonatos vermibus laborare oporteret, quod experientia non comprobatur. Aliorum denique sententia est, quam physiologi nostrae aetatis amplexantur, quod omnes vermes tam illi, qui primas vias inhabitant, quam qui in visceribus, videlicet in cerebro, pulmonibus, hepate etc. varia sub forma exorti nidulantur, ex morbosa humorum miscella, accedentibus quibusdam causis occasionalibus, originem suam trahant, et quod ita saltem primi generatione aequivoca seu per epigenesim nascantur, qui postmodum per ovula, aut alia ignota ratione se multiplicare videntur. In hac sententiarum varietate decidere mihi animus non est; dicam solummodo, quid de origine et propagatione Taeniae in corpore humano nidulantis sentiam.

Duobus abhinc annis tractavi virum sexaginta quatuor annorum, caelibem, boni corporis habitus, regulari diaetae assuetum, per totum vitae suae decursum fere semper

sanum. Ante septem circiter menses amicorum quidam aletophilus ipsi suasit, ut ingruente modo senio priorem diaetam mutaret, et fercula lacte parata potius eligeret: paruit huic consilio optimus vir, et per plures septimanas nullis ex mutato victu incommodis fuit vexatus. Successive tamen sensit tensionem abdominis praecipue post pastum, anxietatem circa praecordia, palpitationem cordis, et appetitum lanquentem: bonus ille, quo antea gaudebat, corporis habitus fuit depravatus, et frequentibus Lipothymiis fuit vexatus. De hisce symptomatibus et praecipue de mutata diaeta certior factus, dum hypochondria et abdomen simul tensa observavi, non sine ratione morbum gastricum hic latere supposui; unde ordinavi purgans ex quinque unciis aquae laxativae Viennensis et drachmis sex salis Seignetti. Sequenti die, dum aegrum denuo visitavi, famulus, qui a triginta duobus annis huic viro inserviebat, jam curiositate plenus meum adventum exspectavit; monstravit mihi in matula praeter magnam excrementorum copiam plures (sic dictos) cucurbitinos, quos ille tot semina melonum esse credidit. Interroganti mihi, utrum tale quid jam saepius in matula sui heri observaverit, respondit, se a multis annis nihil huic simile in hoc vase,

quod omni die semel, saepissime etiam bis purgavit, vidisse, sed primum a duabus vel tribus septimanis hinc inde vestigium animadvertisse, quod aliunde huc devenisse suspicatus est. Elegi tunc curam contra Taeniam, quam feliciter septimo die integram expuli, longitudinis tredecim ulnarum cum dimidia. Optimus iste vir rediit ad priorem diaetam, et adhuc bona gaudet valetudine. Quis, quaeso! sana mente praeditus somniare potest, rudimentum hujus vermis per sexaginta et ultra annos in corpore hujus viri reconditum latere potuisse, et nunc tandem fuisse evolutum?

Ubi germini per exteriora patet aditus in corpus, verisimillimum est, vermium ortum vel ab alimentis, vel a potulentis, aut a variis odoramentis florum, herbarum etc. vel etiam ab immunditie esse derivandum: centeni, qui extant, casus hoc clare demonstrant. Puella novemdecim annorum optimi corporis habitus, a prima juventute sana ab anno et dimidio atrocissima vexabatur Cephalaea; a copiosa remediorum tam externe quam interne adhibitorum farragine non tantum non sublevata fuit, sed vires de die in diem decreverunt, et interdum etiam subdelirare incepit. Cum aliis duobus medicis in consilium vocatus inquisivi in situm doloris, quem digito aegra descripsit in sinu

frontali. Nares a pluribus mensibus habebat siccas; nasus radicem versus fuit tumidulus, et sensus odoris ex integro depravatus. Praemissis variis interrogationibus intelleximus tandem, quod jam ab aliquot annis odore rosarum quam maxime fuerit delectata, ita, ut eundem ex rosis recenter carptis saepe per notabile tempus pleno rivo naribus attraxerit. Non vana mox aborta est suspicio, quod tali ratione rudimentum vermis ad sinum frontalem delatum, ibique evolutum tot tetrorum symptomatum causa esse possit: suasimus, ut solutionem Mannae cum pauxillo lactis mistam aliquoties de die naribus attraheret, et intercalari tempore pulvere herbae nicotianae, cui assueta non erat, uteretur; sed omnia incassum. Post sex dies iterum vocatus jussi, ut succum Betae parca aquae quantitate dilutum aliquoties de die naribus attrahat; unde factum, ut excitata pluries sternutatione duos tandem vermes rotundos, hirsutos, dimidii pollicis longitudine, crassitie culmi consecutive excreverit. Subsecutae sunt aliquot guttae sanguinis, mox ichor fusci coloris ad unciam unam. Per plures dies emunxit postea mucum varii coloris cum integra euphoria. Ab illo tempore sana vivit, nupta marito jam trium prolium mater.

Chirurgi, tempore praecipue calido, in cubiculis magna aegrorum copia repletis vesicantia aut ulcera deligantes, si eadem diutius aeri libero exposita relinqunt, mirantur enormem quantitatem vermiculorum, qui sub nova deligatione in conspectum veniunt. Infantes, quibus lintea jam faecibus inquinata de novo substernuntur, plerumque ascaridibus vexantur. Idem incommodum etiam accidere solet mulierculis pudendorum munditiem negligentibus.

Matronam nosco a triginta et ultra annis optimi adhucdum corporis habitus, quae feliciter duodecim proles sanas peperit, sex masculos et tot femellas. Haec quotiescunque praegnans fuit femella, invincibili cupiditate rapiebatur in lacticinia, pinquia, farinacea etc.; sed semper hoc tempore fuit vexata symptomatibus, quae a vermibus oriri solent, et plures etiam ad partum usque lumbricos alvo excrevit; quod autem ipsi non contigit, dum marem utero gestavit, quo tempore omnia lacticinia, farinacea et pinguia quam maxime aversabatur. Post sex partus haecce inter symptomata absolutos tandem in subsequentibus rite vaticinari didicit, utrum masculum sit editura, an femellam.

Infans septem mensium, cui integram Taeniam novem ulnarum expuli, praeter ubera

sanissimae matris infusum scabiosae lacte mistum, et pultem ex farina et lacte paratam nihil unquam gustavit *a)* *(vide cas. III.)* Unde non inanis posset oriri suspicio, lac, ejus producta, et in genere omnia pinguia praecipue favere excipiendo germini verminoso, quocunque demum modo illuc delato.

Helvetii et Batavi endemice quasi Taenia laborant. Plurimi hoc adscribunt frequenti usui piscium; ex ea ratione, quia pisces saepe Taeniis sunt obnoxii. Huic autem opinioni haud facile subscribere possum; per decem enim annos medicus ordinarius fui R. R. P. P. Carthusianorum, qui ab usu carnis et lactis penitus abstinent, et pro maxima parte piscibus vescuntur: nec unum Taenia laborantem vidi, neque decrepitorum Patrum ullus recordatus est, quod confratrem Taenia vexatum noverit.

Dum adhuc in Italia morarer, quodam die cum optimo meo amico *Bursierio* ad litus fluminis Ticini obambulans vidi in aqua stagnante portionem Taeniae in globum convolutam, quam extraxi, et domum portavi. Rem attentius examinantes vidimus deesse caput; articuli longitudine aequabant tres lineas circiter cum dimidia, latitudine plus minus duas: totius frusti longitudo erat unius ulnae et quinque pollicum. Judicavi-

mus ambo, hanc Taeniae portionem ab anguilla, quibus fluvius ille abundat, et quae saepissime pondere viginti et plurium librarum litus petunt, in hunc lacum fuisse excretam. Hinc pisces Taenia laborare posse, lubens concedo; dantur enim lacus, in quibús maxima pars piscium Taenia laborat, quod a nulla alia causa derivare possum, nisi quod pisces foetus Taeniae, ab aliis piscibus hoc verme laborantibus excretos, devorent, qui crescunt, et sic continuo propagantur. Quod vero ex usu piscium hic vermis in corpus humanum transplantetur, nemo adeo facile sibi persuadebit, qui perpenderit, ab hominibus comptis et civilibus pisces non crudos manducari, sed eosdem, antequam comedantur, discindi, exenterari, aromatibus, sale et aceto condiri, coqui, frixari etc. Quis mortalium suspicetur, post tot praevias praeparationes non omnia vermium rudimenta ex integro jam destructa fuisse? Unde quam maxime probabile est, Helvetiis et Batavis ex ea ratione Taeniam esse magis familiarem, quia lacte potissimum et ejus productis *butyro, caseo etc.* nutriuntur. Omne unctuosum et pingue primas vias debilitat, et ad generationem et collectionem glutinis disponit; nemo itaque mirabitur, subtilissimum tale germen, in corpus jam prae-

dispositum delatum, evolvi potuisse. Quod inde facile eruere possum, quia maxima pars illorum, quibus Taeniam expellendi mihi data fuit occasio, cibis pinquibus, lardo, lacte, caseo etc. delectabatur, uti laniones, caupones, molitores, eorum uxores, proles, servae et famuli, et non raro etiam homines nobilis prosapiae, qui intemperatae gulae offas pinques, cremores, lac etc. immolant.

An muscae sub excrementis illorum, qui Taenia laborant, promiscue in via publica hinc inde excretis germina colligunt, et ad varia publice venum exposita alimenta praecipue pinquia, e. g. butyrum, lac, caseum, lardum etc. deponunt? Haud absona est haec suspicio; et si ex mille foetibus unus emergit, progenies jam propagatur.

*) *De propagatione Teniae sequentia leguntur, in dem neuen Schauplatz der Natur u. s. w. (Tom. X. p. 193.) Entweder es haben die Thiere nur einerley Geschlecht, und sind soviel man bis jetzt weiſs, nur Mütterchen, oder sie haben deren zwey; oder es giebt auch einige, die ganz ohne Geschlecht sind: unter den ersten, welche nur einerley, und kein anderes von ihnen verschiedenes Geschlecht besitzen, bringen einige sogleich lebendige Jungen zur Welt, andere hingegen legen erst Eyer. Es giebt nehmlich dermaſsen einfache Würmer, so ganz ohne Form, Gliedmaſsen und*

Bildung, dafs man an ihnen weiter nichts als ohngefähr eine rohe Gestalt einer Kugel, oder eines Ringes, oder eine blofse eyförmige, oder cylindrische, oder sonst eine unbestimmte Figur wahrnehmen kann: dahin gehören z. B. die Wasserthierchen, die Infusions-Thierchen, die Aelcken im Essig und im Mehlteige etc.; aus diesen selbst sprofsen nehmlich ohne Begattung mit anderen, lebendige Junge ihrer Art hervor, welche anfänglich klein sind, nach und nach gröfser werden, und mit der Zeit ihres Gleichen aus sich hervorbringen. Ein solches Thierchen erhält also blofs den Keim eines künftigen in sich, welcher sich zu seiner Zeit aus ihm entwickelt, und dann hervorkömmt: obschon die Polypen, der Bandwurm, die Meersterne und einige andere mehrere Bildung und deutlicher ausgedrückte Gliedmafsen haben, so hat es doch mit ihrer Entstehung, so wie mit den vorigen einerley Bewandtnifs.

§. XIX.

Diathesim mucosam a parentibus in proles propagari posse, quae excipiendo Taeniae germini favere potest, lubens annuo. Sic nuperrime filium lanionis aetatis octo annorum a Taenia longitudinis quindecim ulnarum cum capite prodeunte liberavi. Pater hujus pueri, dum adhuc caelebs erat, jam observavit, se interdum articulos non nun-

quam etiam frustula Taeniae palmae longitudinis alvo excernere; per sex fere annos hunc morbum neglexit; nihil assumpsit, nisi remedia sic dicta domestica suasu amicorum hinc inde suggesta: unde non raro tres quatuorve ulnas ano excrevit. Gravioribus tandem afflictus incommodis me consuluit. Liberavi ipsum a Taenia longitudinis triginta ulnarum, suasi diaetam convenientem, et ordinavi talia remedia, quae apta fuissent ad destruendos subtilissimos foetus, hinc inde adhuc in intestinis nidulantes. Haec autem omnia neglexit. Inde factum, ut post octodecim menses prioribus vexatus incommodis denuo ad me rediret. Etiam secundam Taeniam feliciter cum capite expuli longitudinis viginti septem ulnarum: cautior inde redditus, et monitis obtemperans, jam a sex annis ab omni incommodo immunis vivit. An arguere liceret, puerum hunc a patre olim Taenia laborante genitum, via haereditaria eundem vermem acquisivisse? Male fundata mihi videretur haec suspicio; puer enim glutine abundans aeque facile ac pater subtilissima Taeniae germina cum alimentis assumere, et in accumulato glutine saginare potuit.

§. XX.

Animalia, quae in latrinis, volutabris et in sordidis culinis pabula quaerunt, e. g. sues, canes, glires, mures etc. non raro Taeniam in intestinis fovent. Origo a foetibus ad hasce sordities ab insectis volitantibus depositis derivari potest. Eadem sors etiam accidere solet canibus melitaeis (*Schooshündchen*), qui dulciariis, lacticiniis, et aliis optimis ferculis nutriuntur. Sed neque equis, qui sola avenna, foenu et stramine vescuntur, parcit depascens hic heluo. Unus ex meis equis aetatis septem annorum, torosus et ad sua munia semper promptus ab aliquot septimanis incepit contristari, pabula, quae modo respuit, paulo post cum summa aviditate devoravit, alvum modo habuit diarrhoicam, mox segnem, duram, scybalosam; currui alligatus saepe in via quasi attonitus stetit, et non nisi flagello aurigae ad prosequendum cursum potuit incitari. In stabulo, cum interdum a capistro liber esset, caput, quasi tacite auscultans, versus unum mox versus alterum hypochondrium convertit, et ibi dentibus pilos rodendo videbatur, acsi quid ex abdomine extrahere vellet: abdomen et hypochondria solito plus fuerunt tensa. Jussi ergo, ut huic

equo aliquot clysmata ex decocto furfurum, sale communi et oleo lini parata injicerentur. Sequenti die meus rhedarius mihi attullit decem articulos unitos Taeniae, quam remedio *Nufferiano* in quadruplicata dosi exhibito, ejeci integram longitudinis quadraginta quinque ulnarum cum dimidia. Figuram hujus vermis quod concernit, eandem inveni, quam in homine; caput nempe tribus papillis praeditum, supra mediam uncinatum, collum ulnam cum dimidia exsuperans, in decursu articulis continuo longitudine, et latitudine auctis. An muscae *a*) subtilissimos Taeniae foetus ad spumam, quae equis circa os colligitur, deponunt, quae successive ad primas vias defertur? Aut an equi muscas, quae tales foetus adhuc in sua proboscide fovent, cum suis pabulis deglutiunt? Utrumque videtur valde probabile.

a) E. g. Tabanus bovinus (Ochsenbremse) *excrementis hominum et aliorum animalium inhians.*

§. XXI.

Diu interdum in corpore humano abscondita latet Taenia, varias ibi, et saepe formidabiles scenas ludit, quin vera suae praesentiae indicia praebeat. Hinc a pluribus

annis summam adhibui diligentiam, ut signum aliquod pathognomicum detegerem; neque perdidisse mihi videbar operam, dum primi tres quatuorve aegri tetro hoc hospite obsessi, inter alia symptomata mihi narrassent, se interdum ingratissimum habere sensum, ac siquis cor frigida manu comprimeret. Sed brevi me deceptum dolui; nam plures subsequentes hoc verme laborantes aegri hoc symptoma penitus ignorarunt. Certissimum ergo praesentis in corpore animali Taeniae signum est, si articuli, vel sic dicti cucurbitini, sursum vel deorsum excernuntur. Suaderem itaque unicuique Medico practico, dum aegrum chronicum symptomatibus praecipue nervosis laborantem, tractandum habet, quorum causa latet, ut attentissime semper excrementa alvina (multis forte in scandalum artis nauseosa) examinet: non vero ea a procul tantum seratis naribus inspiciendo, sed virgulis investigando, et in aliud vas sensim sensimque evacuando. Experientia sum certus, quod penes multos causa tot tetrorum symptomatum citius detegi, et tolli potuisset, si summe hoc necessarium examen non fuisset neglectum.

§. XXII.

Dantur practici, qui penes illos, in quibus suspicio Taeniae oboritur, therebinthinam vitello ovi subactam, et cum aqua epotam tanquam criterium plurimi faciunt; saepius iteravi hoc experimentum, sed cum effectu inconstanti, vel in illis, in quibus de praesentia Taeniae jam antea fueram convictus. Pulvis radicis filicis maris recenter paratus, ponderis scrupulorum duorum cum scrupulo uno pulveris radicis jalappae mistus, et vesperi post parcam coenam exhibitus raro me fefellit: haec dosis mane fuit repetita, si a prima nec alvus fuit mota, nec articulus excretus. Notandum autem est, etiam hoc experimentum esse inane, si paulo ante Taenia aliis remediis drasticis jam fuit sollicitata: in globum enim convoluta aut in caeco, aut in alia quadam cellula intestinorum nidulatur per plures dies, quem locum non nisi inedia coacta deserit.

§. XXIII.

Symptomata, quae in Taenia laborantibus observavi, vix non eadem sunt, quae penes illos notantur, qui lumbricis vexantur. Raro tamen occurrunt tales, qui nullis

incommodis affecti, vestigia hujus vermis tantum in excrementis detegunt; physiognomiae non semper certa est fides, praesertim in mulierculis, quarum frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur. Multos tamen vidi, quibus facies lurida, terrea, oculi squalidi, tristes, palpebrá inferior oedematosa, labia plumbea, et non raro superius tumidum: pruritus narium, stridor dentium in somno, nauseosus ex ore halitus, copiosus salivae fatui saporis in os affluxus, qui durante somno etiam continuat, et ex ore efluit. Abdomen inflatum, durum, borborygmis resonans; sitis moderata, interdum autem vix sedanda; alvus modo segnis, modo diarrhoica, mucosa, varii coloris; appetitus vix ullus, paulo post fames insatiabilis; frequens nonnullis praefocatio, palpitatio cordis, et constrictio cum sensu frigoris in eodem viscere: accedit tremor, syncope, mentis alienatio, non nunquam ipse morbus comitialis. Pulsus variat, plerumque est obscurus, saepe deficiens, rhytmo et tempore inaequalis, si febris incidit, fere semper sine ordine increscit, saepius intra nychthemerum recurrit cum enormi extremorum frigore, anxietate, et dolore rodente in abdomine.

§. XXIV.

§. XXIV.

Ex solis itaque symptomatibus praesentiam Taeniae liquido stabilire velle ardua, et aleae plenissima res esset: quia diversissimae causae eadem saepe inducunt symptomata. Vidi ex latitante Taenia veros epilepticos; vidi horrisona voce in plateis cantantes et maniacorum adinstar varios gestus agentes; vidi mulierem, quae ob eandem causam cataleptica saepius per decem et plura horae minuta obriguit instar marmoris; alium, qui asthmate spasmodico ad suffocationem usque fuit vexatus. Puella quindecim annorum ex hac causa laboravit chorea sancti Viti; altera ejusdem aetatis amaurosi fuit correpta. Expulsa Taenia omnes a tetris symptomatibus fuerunt liberati: feliciores, si origo mali citius fuisset cognita.

§. XXV.

De novo ergo adhortor unumquemque medicum practicum, ut in ejusmodi casibus chronicis, dubiis, inspectionem excrementorum non negligat; praecipue, si talia medicamenta exhibet, quae vermibus inimica esse noscit. Attendat, an non forte articulos quosdam Taeniae in excrementis detegat; hoc

autem monere debeo, ne contra Taeniam ab amaricantibus, vel a decocto mercurii, vel ab adeo laudata contra vermes asa foetida multum emolumenti speret; quin imo affirmare possum, quod ab exhibita largiori dosi asae foetidae symptomata a Taenia rebelli oborta, plus semel mitigata viderim, ubi nec unicus articulus cum excrementis fuit evacuatus *a)*.

a) Vide cap. II. cas. XII.

§. XXVI.

Difficillime ex corpore ejicitur hic vermis; non enim uti lumbrici libere in intestinis fluctuat, sed suo unco et papillis saepe firmissime in tunicam villosam intestinorum immersus haeret, ita, ut vi remediorum disrumpatur quidem collum, et multae ulnae per anum evacuentur; ex residuo capite autem lernaeo satu, novi repullulant articuli, qui brevi novam Taeniam formant. Clariss. de Rosenstein observavit, quod aegri Taenia laborantes ad finem decrescentis lunae, et initium novilunii de vehementioribus cruciatibus conquerantur, et hoc ipsum tempus ad exhibenda remedia magis congruum esse asserit. Cel. Gruner, Pallas et non nulli alii idem affirmant. Ego ut vera fatear, in prin-

cipio in exhibendis contra hunc morbum remediis de observandis phasibus lunae non adeo sollicitus fui; tandem attentior redditus vidi doctissimos illos viros non sine ratione hanc cautellam nobis communicasse. Ex sequentibus patebit, quod cum Taenia lata saepius expulerim lumbricos, ascarides, et multos Taeniae foetus; nunquam autem obobservavi, quod simul alia Taeniae species cum lata fuerit evacuata, licet hoc contingere posse, neutiquam in dubium vocem.

CAPUT II.

CASUS PRACTICI.

CASUS I.

Mulier viginti quatuor annorum, lanionis uxor, optimi corporis habitus, duarum prolium mater, nullis unquam morbis (si infantiles exceperis) obnoxia, ab aliquot septimanis per intervalla insuetis symptomatibus, doloribus nempe colicis, frequenti syncope, vomitu aquae limpidae etc. fuit vexata. Cum nec bonus faciei color, nec appetitus, nec vires deficerent, illi, qui in principio in auxilium fuerunt vocati, causam horum symptomatum graviditati (licet catamenia non deessent) adscripserunt. Inopinato tandem accidit, ut domi suae in consortio aliliquot hominum, cum quibus summe hilaris confabulabatur, subito obrigesceret: oculi prominebant fixi, pupillae fuerunt dilatatae, vox faucibus haesit; sensibilitas per

totum corpus nulla. Per decem fere horae minuta quum formidabilis hic status continuasset, aegra praeteritorum nescia ad se rediit. Ab eo tempore saepius recruduit idem paroxismus: aliquoties hoc accidit obambulanti in via publica, ut ad proximam domum deportare eam necesse fuerit. Repetitae venaesectiones, inunctiones, et immensa remediorum, praecipue nervinorum farrago tam a medicis quam a chirurgis ordinata reditum mali impedire non potuerunt. Decimus mensis ab exordio primorum symptomatum jam ad finem vergebat, cum prima vice ad foeminam istam fui vocatus. Inveni ipsam tristem, pronam in lachrymas et a bono corporis habitu, solitoque appetitu admodum declinantem: totum abdomen aequabiliter tumuit, et doluit ad attactum; conquerebatur praeterea de palpitatione cordis jam a pluribus septimanis per intervalla redeunte, et de anxietate summa circa praecordia: eodem die, quo ipsam visitavi, sexies sponte deposuit alvum liquidam. Omnibus hisce seria mentis trutina examinatis; nullibi certius causam tot symptomatum statuere potui, quam in abdomine. Fui tandem convictus, cum matulam ex sella perforata extractam, et alvo liquida, foetida, pituitosa plenam in aliud vas trans-

fundi jussissem. Detexi enim in fundo vasis quindecim articulos Taeniae a se invicem separatos, et quatuor frustula tribus quatuorve articulis adhuc concatenatis. Nullum jam amplius supererat dubium, omnia haec incommoda a latitante Taenia ortum ducere. Cum lanionis uxor esset, optimam nactus sum occasionem experiundi, quid bilis taurina, forma enematis injecta, contra Taeniam posset; jussi ergo, ut a bovibus recenter mactatis vesiculas felleas colligerent; interea temporis, ut pituitam inciderem, et scybala ex corpore eliminarem, exhibui sequens remedium.

℞. Rad. gramin.
— Tarax. aa. unc. j.
Concis. coque in s. q. aquae per ¼ hor.
sub finem adde
Rad. foenicul. drach. iij.
Stent in infusione calida per ¼ hor.
colatur. Lib. j. adde
Arcan. duplicat. unc. semis
Syrup. rub. idaei unc. j.
Misce, turbidum exhibe, sign. sumat aegra omni bihorio vasculum.

Per quinque dies continuavit aegra usum hujus decocti, unde enormis quantitas muci

et scybalorum cum multis articulis Taeniae fuit evacuata.

Die septima jam notabilis copia bilis taurinae fuit in promptu: exhibui itaque *die octava* summo mane sequens remedium purgans.

℞. Pulv. rad. Jalapp. saccharo optime trit. scrup. ij.
Mercur. dulc. gr. viij.
M. F. pulvis pro dosi.

Hora post assumptum hunc pulverem elapsa curavi injici enema ex unciis octo bilis taurinae. Quum per bihorium vix notabile incommodum sentiret aegra, jussi idem enema repeti. Tandem oborti sunt borborygmi, sensit tormina circa umbilicum, et incepit sat valide purgari quater consecutive: sed nec unicus Taeniae articulus fuit excretus. Accessit sitis, quam non nisi aqua copiose hausta sedare potuit. In prandio non tantum omnia nauseavit, sed et ipso ciborum odore male fuit affecta: hinc nihil assumsit. Cum alvus jam ab hora cum dimidia siluisset, tertio enemate ut supra, injecto post horae quadrantem tribus vicibus deposuit alvum liquidam, foetidam, sine ullo Taeniae vestigio. Accesserunt tandem frequentes Lipothymiae, summa circa praecordia anxietas

vomitus aquosus, frigus totum corpus concutiens: facies incepit collabi, labia fuerunt pallida, mox livida, abdomen tympaniticum, ad attactum dolens, et nec alvus nec urina respondebant. Pulsus fuit summe irregularis, contractus, parvus, intermittens, rhytmo et tempore inaequalis; vox plerumque intercepta; debilitas summa. Tristissima haec scena fere per dimidiam horam duravit; omnes adstantes aegram morti proximam esse clamabant. Gravis poena pro medico, qui inexspectatae tali catastrophe interesse tenetur! Interea totum abdomen, et extremitates superiores et inferiores linteis, fumo florum macis, castorei etc. imbutis blande fovebantur; naribus modo acetum, modo liquor anodynus fuit admotus, et interne quotiescunque quid deglutire potuit, exhibitum fuit cochleare sequentis mixturae.

℞. Spirit. cornu cerv. drach. semis.
Sal. volatil. succin. q. s.
ad perfectam saturationem adde
Aquae Meliss. simplic. unc. iv.
Tinct. castor. gutt. xxv.
Syrup. menth. unc. j.
M. detur usui.

Oborto tandem enormi borborygmorum

rumore aegra quasi reviviscere incepit. Primum petiit, ut subito ad sellam perforatam elevaretur; eruperunt ibi plures flatus, quos subsecuta est Taenia integra longitudinis triginta ulnarum Viennensium cum dimidia. Mox ad lectum compositá jusculo vinoso cum vitello ovi et saccharo parato cochleatim exhibito fuit refecta: haud diu post incepit obdormiscere, et placidissimus somnus fuit protractus per integram noctem. Mane evigilans praeteritorum quasi nescia appetiit jentaculum, et fassa est, circa abdomen adeo lenem sese sentire, ac si prolem fuisset enixa. Ab eo tempore sana vivit, et vegeta, jam decem prolium mater.

An vis specifica inest *bili taurinae* contra Taeniam? Non adeo facile credo, licet feliciter cesserit primum experimentum: in tribus aliis casibus votis non respondit. Saponacea et leniter stimulante virtute gaudet bilis taurina: inde Taenia parietibus intestinorum agglutinata a tunica villosa intestinorum separatur, et quasi fluctuans redditur, ut ita vi purgantis-drastici eo facilius eliminari possit. Sed interdum suis papillis et unco adeo firmiter tunicae internae adhaeret, ut non nisi experimento per plures dies repetito felix eventus sperari queat.

CASUS II.

Foemina viginti quinque annorum, coqua, caelebs, torosi corporis habitus, temperamenti sanguinei, parentibus sanis orta, regulariter, sed parce et fere semper cum doloribus in abdomine menstruans, ab anno et dimidio insultus epilepticos irregulariter intrantes passa, tertia mensis Octobris 1787 ad scholam practicam fuit suscepta.

Anamnesis docuit, hanc foeminam a teneris annis achoribus et vermibus fuisse infestatam; aetate parum provectiori accessit frequens singultus, et sensus in regione umbilicali singularis, quasi rotatorius, ad thoracem, collum et caput usque ascendens. Achores perstiterunt ad decimum octavum usque aetatis annum: assumtis, prouti ipsa asserebat, medicamentis curata, incidit in morbum rheumaticum per integrum mensem durantem. A quo restituta in vigesimum secundum usque aetatis annum sana vixit, exceptis molestiis, quae instantibus menstruis ipsam semper cruciabant.

Vigesima sexta Februarii 1786 vehementissimo terrore perculsa, nullo quidem malo in hoc temporis puncto adfecta est; sed aliquot diebus post, dum catamenia fluerent, iterum percipit sensum illum rotatorium a regione

umbilicali superiora petentem: accedit rigor linquae et balbuties, tandem inter violentos concussus musculorum totius corporis sui nescia, humi prosternitur, et formidabili spectaculo fere per dimidiam horam convulsa jacet; vomitu sponte oborto paroxismus tandem fuit solutus. Octo diebus elapsis, dum valido labore corpus exercuisset, de novo percepit sensum illum rotatorium in regione umbilicali superiora versus ascendentem; paulo post iterum concidit epileptica. Hic quoque paroxismus, priori mitior et brevior, accedente vomitu spontaneo cessavit. In tam tristi rerum statu jam pusillanimis facta accepit, nescio unde, pulveres, antiepilepticos dictos, ex quorum usu etsi nullam notabilem sensisset in corpore mutationem, tamen per duos menses a paroxismo immunis vixit. Tandem in ecclesia demoranti absque ullo in abdomine praegresso sensu lingua rigere incipit, et nihil mali opinanti insultus epilepticus supervenire, qui (quod antea nunquam evenit) absque vomitu fuit solutus. Repetito usu dictorum pulverum, cum duos menses sana transegisset, sine nota causa, et absque solitis prodromis brevi post novo insultu epileptico validissimo correpta est, quo finito chirurgus tunc in auxilium vocatus remedium exhibuit, quod nullum in corpore sen-

sibilem effectum edidit. Elapsis autem aliquot diebus vermem latum excrevit ultra ulnam longum, quem extra anum pendulum, inopinato phoenomeno territa, digitis trahendo disrupit. Ab eo tempore per quatuor menses ab omni insultu libera mansit.

Decima quinta Januarii 1787 sine signis praeviis et absque nota causa rediit paroxismus: idem contigit *prima Maji ejusdem anni*; quo die accessus admodum validus, per horam fere duravit, et vomitu spontaneo iterum solutus fuit. Tum temporis ex usu pillularum, ab amico quodam subministratarum, multos Taeniae articulos, plerumque vivos, excrevit.

Decima Julii levi paroxismo, post horae quadrantem terminato, fuit correpta.

Tertia Septembris in ecclesia iterum sensit prodromos superius descriptos, et paulo post epileptica concidit.

Tertia Octobris ad scholam clinicam fuit suscepta. Habitum corporis bonum ostendit, caput erat liberum, pupilla plus aequo dilatata, lingua tumidula, mucosa; sapor glutinosus; pruritus nasi et ani saepe molestus; proclivitas in singultum; hypochondria infarcta, sinistrum magis prominens et dolens ad attactum; pulsus, respiratio et reliquae functiones fuerunt in

statu naturali. Ad incidendum et eliminandum mucum sequens fuit praescriptum remedium.

℞. Aquae commun. destil. unc. viij.
Arc. duplicat. unc. semis.
Syrup. foenicul. unc. j.
Misc. sumat aegra omni bihorio dimidium vasculum. Ad alvum facilius promovendam ordinatum fuit enema.

℞. Semin. lini contus. unc. semis
coque in s. q. aquae per quadrantem horae,
Colaturae unc. x. adde
Mel cummunis unc. j.
Misc. f. enema.

Prima die novies inde fuit mota alvus, valde mucosa, cum uno articulo Taeniae; per sex dies usus remedii interni et externi fuit continuatus, et magna semper scybalorum et muci copia excreta cum multis Taeniae articulis, inter quos multi per plures horas in matula vivi perstiterunt.

Decima Octobris. Aegra fit anxia, facies multum rubet, caput est temulentum, vertiginosum, dolor fixus in hypochondrio sinistro, pulsus durus, celer. E vena in brachio secta, unciae decem sanguinis sat densi

emissae sunt: bina injecta fuerunt enemata emollientia, et omni bihorio vasculum sequentis decocti sumendum praescriptum.

℞. Specier. de althae. unc. ß.
Con. coque in s. q. aquae per ¼ hor. colat.
lib. j. adde
Sal mirab. Glaub. unc. ß.
Nitri pur. drach. j.
Syrup. rub. idaei unc. j.
Misc. detur usui.

Sequenti die melius se habuit, et idem remedium fuit continuatum: die postero, cum catamenia accessissent, praeter infusum florum verbasci, quod amabat, nihil assumpsit. Fluxu menstruo, qui valde parcus fuit, post triduum jam penitus cessante experiri volui, quid *Spigelia anthelmia* (cujus sufficientem quantitatem Dominus Baumann mihi suppeditavit) contra Taeniam posset; unde *decima sexta Octobris* sequens remedium fuit exhibitum:

℞. Spigeliae anthelmiae drach. jj.
C. C. in libris duabus aquae ad remanentiam lib. j. adde
Succi citri unc. semis.
Sacchar. alb. quant. sat. ad gratiam.

Misc. sumat aegra omni tertia hora uncias duas.

Hoc remedio per quinque dies continuato nulla omnino visa est mutatio : exhibitum tunc fuit purgans :

℞. Pulv. rad. Jalapp. saccharo bene trit. scr. ij.
Cremor tart. drach. semis.
Misc. f. pulvis, detur pro dosi.

Quinquies inde fuit purgata, et octo articuli Taeniae excreti : auctum deinde fuit pondus Spigeliae ad unciam semis ; usus per novem dies solertissime continuatus nihil effecit : interea semel circa mediam noctem insultu epileptico per decem minuta durante fuit correpta.

Cum ab usu Spigeliae anthelmiae per quatuordecim dies continuato nullum effectum observaverim, vires stanni granulati experiri volui.

Trigesima Octobris hora nona matutina in praesentia copiosorum medicinae candidatorum exhibui aegrae unciam unam et semis stanni anglicani granulati cum sufficienti quantitate syrupi de althaea pro dosi: *circa duodecimam* conqueritur aegra de ructibus picem redolentibus; accedunt tormina circa umbi-

licum; *quarta pomeridiana* frequentes lipothymiae, et vomitus panatellae in prandio assumptae; abdomen extenditur, et dolet ad attactum; bis deposuit alvum sine vestigio vermis; pulsus fuit inaequalis et intermittens.

Trigesima prima, hora septima matutina eodem modo uti die antecedenti exhibitae fuerunt stanni granulati drachmae sex pro dosi. Vix hora elapsa inde orti sunt ructus ungulam ustam rodolentes, inanes conatus ad vomitum, tormina, abdomen tensum, ad attactum dolens, pulsus irregularis, intermittens, alvus, quae ab hesternis vesperis siluit, circa quintam pomeridianam enemate emollienti fuit sollicitata. Post horam sensit aegra nisum ad alvum deponendam, et excrevit tres fere ulnas Taeniae, articulis quidem majoribus cohaerentibus, sed curiosissimo spectaculo adeo dilaceratis, ut nec unicum articulum detegere potuerim, qui non in plures partes, cohaerentes tamen, fuisset dissectus. Minores articuli, caput et collum formantes, quasi in mucaginem erant comminuti, et pauca hinc inde oculo armato sui vestigia exhibebant: id quod granulis stanni non rite rotundis, sed hinc inde adhuc acutis adscribo.

Prima Novembris. Cum suspicarer, tamen adhuc quid de verme et foetibus latere posse,

ma-

matutino tempore rursus exhibui stanni granulati drachmas sex pro dosi ex supra dicto vehiculo: eadem oborta sunt symptomata cum tenesmo; iniectis autem duobus enematibus emmollientibus omnia fuerunt sedata; quater alvum deposuit sine nota Taeniae; unde quoad omnes functiones haec foemina optime se habuit; quotidie tamen magnam muci copiam alvo excrevit: nova exinde mihi oborta est suspicio, an non in pabulo tam copiose in intestinis adhuc residuo foetus Taeniae absconditi latere possint? hinc cum sufficientibus viribus polleret, exhibui ipsi remedium *Nufferianum*.

Nona Novembris post parcam coenam curavi injici enema emolliens; die sequenti hora octava matutina exhibui sequens:

℞. Pulv. rad. filicis mar. recent. parat. dr. iij.
Aquae communis unc. vj.
Misc. detur pro haustu.

Sumpto hoc medicamento per integrum bihorium aegra abstinere debuit ab omni cibo et potu: transacto hoc tempore exhibitus fuit Bolus sequens:

℞. Scammonei.
Mercurii dulcis ana gr. x.

Gummi guttae gr. viij.
Syrup. Sambuc. q. S. ut fiat Bolus.

Decies sexies hac die deposuit alvum aquosam; de Taenia autem nec vestigium comparuit.

Duodecima Novembris: ut neruis prospiceretur sequens pulvis fuit praescriptus.

℞. Pulv. cort. peruvian. unc. semis.
— rad. valerian. sylvest. drach. iij.
Sacchar. alb. drach. ij.
Ol. foenicul. gutt. iij.

M. f. pulvis, de quo sumat aegra ter de die duo parva cochlearia ex aqua, superbibendo singulis vicibus vasculum decocti sequentis.

℞. Fol. aurantior unc. semis.
concis. coque vase clauso per quadrantem horae,
colaturae Lib. j. adde
Syrup chamomillae unc. j. Misce.

Per duodecim dies usa est hisce remediis, quae tandem nauseare incepit; hinc per plures dies ab omni medicamento abstinuit: summopere autem angebatur paupercula metu recidivae; unde tam ad erigendum ipsius animum, quam etiam ad corrigendum mu-

cum, in quem valde proclivis erat, praescriptae fuerunt sequentes pillulae.

℞. Extract. rad. valerian. sylv.
— amaricant. aa. drach. iij.
Gummi ammoniac.
— asae foetidae aa. drach. ij.
Mass. pillul. Ruff. drach. j.
Tinct. visceral. quant. satis

M. f. pillul. gran. iij. conspergantur pulv. ſemin. foeniculi, sumat ter de die quatuor, superbibendo vasculum infusi tenuis flor. chamomill. vulgar.

Ultra mensem usa est hac medicina, et optime semper se habuit: *quarta tandem Januarii* 1788 optima gaudens valetudine scholam practicam deseruit: monui abeuntem, ut saepius redeat, et me de statu suae sanitatis certiorem reddat: idquod per integrum annum sancte observavit: vidi ipsam semper sanam, et se a Taenia, et ab insultibus epilepticis penitus immunem esse confessa est.

CASUS III.

Infans septem mensium (cuius jam supra §. XVIII. facta fuit mentio) solo lacte ma-

terno, et pulte *) nutrita primis a nativitate quatuor mensibus bene se habuit; sensim tumere inceperunt ipsius hypochondria, licet frequenter dyarrhoea mucosa vexaretur; abdomen mansit solito durius, et ad attactum dolens: appetitus interdum fuit validus, mox et mammas et pultem respuit; sine nota causa saepe de die, plerumque autem de nocte in enormes ejulatus erupit brevi evanescentes: haec symptomata continuarunt in septimum usque mensem; interea bonus corporis habitus, quo infans antea gaudebat, degeneravit in cachecticum: varia a variis fuerunt suggesta remedia tam externa quam interna sine omni effectu. Vocatus ad hanc puellam dum omnia attente investigassem, detexi in matula plures articulos Taeniae, quos, dum matri monstrassem, haec fassa est, tales se iam ab aliquot septimanis excrementis mistos observasse, et pro muco condensato habuisse. Suasi, ut infanti omni die enema injiceretur ex unciis tribus decocti malvae cum uncia semis olei olivarum et drachma semis sacchari: interne autem ter de die exhiberi jussi parvum cochleare seminum cinae pulverisatorum ex syrupo flor. Persicorum, quae puella libenter assumpsit; unde magna quotidie muci quan-

titas cum non nullis Taeniae articulis ano fuit excreta. Elapso octiduo ordinavi

℞. Hydromel. Infant. recenter parat. unc. iiß.
Sal mirab. gl. dr. j.
Mercur. dulc. gr. iij.
Syrup. foenicul. unc. ß.
Misc.

ut omni hora exhibeantur duo parva cochlearia, donec infans rite purgetur. Cum sexies assumpsisset hanc medicinam incepit valde ejulare, attrahere genua versus abdomen, quod plus intumuit, et ad levissimum attactum magis doluit: applicitum fuit cataplasma emmolliens, et superius descriptum enema sine saccharo spatio unius horae bis fuit repetitum; accesserunt Lypothymiae, spasmus cynicus, color faciei lividus, tremor manuum et pedum: tandem eruperunt multi flatus, quos secuta est magna quantitas muci, et mox Taenia integra novem ulnarum. Puella jusculo refecta paulo post obdormiscere incepit; post somnum sex horarum evigilans fuit hilaris, et avide mammas quaesivit; suasi dein, ut ablactetur, et alimentis magis congruis nutriatur: sana modo agit septimum aetatis annum, unicum solatium parentum.

*) *Quot a parentibus sanis procreatae, et optime conformatae proles in emolumentum patriae emersurae jam fuerunt infelices victimae perniciosae huius pultis! Nostrae mulierculae, quas potius formidabiles novercas appellarem, hanc parant ex farina, lacte et butyro, quae mista ad consistentiam plus minus spissam coquuntur. In sic paratam pultem seniculae, quibus cura infantum plerumque committitur, intingunt digitum; id, quod adhaeret, in os dentibus cariosis et saepe halitu ex phthysi venenato refertum suscipiunt. Ibi, ne fauces infantis calore pultis offendant, volvunt, et revolvunt, tandem tenello esurienti cum perniciosa saliva mistum a digito ex ore successive retracto sugendum tradunt. Nihil dicam de pessimo effectu, quem foetidus et nauseosus halitus morbosa saepissime saliva contaminatus in corpus teneri infantis inducere potest; consuetum tantum et tot infantibus exitialem usum huius pultis damno et abominor; unicuique enim affulgere debet, quod glutinosa talis massa suo lentore in tenello corpore vasa lactea, glandulas mesaraicas, tandem ipsum ductum thoracicum obliniat, et sensim obstruat; unde omnis cessat nutritio, abdomen successive in duram molem extenditur, extremitates foedo spectaculo extenuantur, et pauperculus infans millenis in facie rugis sulcatus immedicabili marasmo perit.*

Salubrior, et teneris neonatorum viribus digerentibus magis accomodatus cibus sequenti modo paratur.

*Sumatur panis Similagineus, qui fit ex tritico purissimo (germanice Semmel vocatur) radula deteratur undequaque crusta, medulla in taleolas secta moderato calore supra craticulam optime mundatam ponatur, et in utraque superficie tamdiu frixetur, donec colorem citrinum induat; a craticula remotae hae taleolae immittantur in mortarium purissimum, contundantur et terantur in pulverem, qui per cribrum ex crinibus equinis confectum trajiciatur. Operatio haec eousque repetenda est, donec tota panis medulla cribrum transiverit: hic pulvis servetur usui in scatula charta intus obducta, aut in vase vitreo vel ex terra porcellana. Si infanti cibus est porrigendus, sumatur de hoc pulvere tantum, quantum cochleari (*Eßlöffel*) potest capi, immittatur in patinam parvam terream intus bene vitratam et fundo aliquantulum profundiori praeditam, addatur sufficiens quantitas jusculi ex pullo aut tenera carne vitulina parati et sic moderato caloris gradu sub continua agitatione mediante cochleari redigatur in panatellam teneram. Haec dosis bis terve de die potest repeti pro ratione virium et circumstantiarum infantis; si hic cibus illius palato non arrideret, insperso sacchari pulvere gratior reddi potest: nunquam in ore nutricis volutum, nunquam digito, sed semper parvo cochleari ex ebure vel cornu confecto tepide porrigatur. Non sine summo gaudio in hodiernum usque diem tot teneras proles simplicissimo hoc cibo sanas et vegetas emergere video, quae usu pultis aut trucidatae*

fuissent, aut mansissent valetudinariae. Plures casus in medium proferre possem; ne longus sim, unus sufficiat pro omnibus: civis vindobonnensis triginta annorum torosus, sanus, sanae junctus uxori binas proles (puerum nempe et puellam) a partu sanissimas, uberibus matris et pulte nutritas, primam decimo tertio, secundam decimo septimo aetatis mense superius enarratis marasmi symptomatibus mortuas doluit. Tertius infans post partum aeque sanissimus eodem uti priores modo nutritus iam circa sextum mensem aetatis incepit languere; abdomen successive intumuit, facies et extremitates emaciabantur, appetitus autem semper vigebat; dum undecimum mensem ageret, et de die in diem omnia in pejus ruerent, prima vice fui vocatus; sed jam primus aspectus mortem ante fores ominabatur, quae etiam die sequenti circa meridiem miserrimum puerum rapuit. Multas inter lachrymas lugebant parentes interitum trium prolium, et anxie a me rogarunt consilium, quo inposterum tragicam talem scenam praevenire possent: suasi, ut, si novus partus subsequatur, foetum a meconio bene purgatum per unam alteramve septimanam solo lacte materno nutriant, tandem rarius exhibito lacte matris successive superius descriptam panatellam cum debitis cautellis porrigant. Effectus respondit votis; tres modo vivunt pueri et binae puellae, omnes hilares, et optimo corporis habitu gaudentes. Etiam illis infantibus, quibus ob quamcumque causam

ubera matris vel nutricis recusantur, hic cibus cum debita attentione paratus optime conducit.

CASUS IV.

Senicula sexaginta duorum annorum, operaria, laboribus multum exhausta plures Taeniae articulos in vitreo vase collectos ad me tulit, et petiit auxilium. Dixit se jam ab aliquot annis frequenter doloribus colicis, animi deliquiis, palpitationibus cordis etc. esse obnoxiam, a biennio autem saepius tales articulos in suis excrementis observasse; suasi huic pauperculae (cum nosocomium formidaret) ut de muria Brassicae omni hora assumat uncias quatuor, donec incipiat bene purgari, decrescat autem in dosi, si evacuationes alvinae nimium crescerent. Post assumptam quartam dosim atroces sensit dolores in abdomine ita, ut lectum petere fuerit coacta. Alia mulier penes habitans injecit ipsi enema emmolliens; paulo post excrevit magnam quantitatem alvi sine articulis Taeniae; sumpsit tandem quintam et sextam dosim muriae; unde abdomen valde intumuit, secuti sunt Borborygmi continui, Lipothymiae frequentes, anxietas summa; tandem eruperunt copiosi flatus, et inter validos nisus enixa est Taeniam integram no-

vem ulnarum cum dimidia, quam eodem die ab ipsa aegra ad me delatam attentissime examinavi.

Cur muriam Brassicae in experimentum vocaverim, ratio sequens est. Pridie in consilium fui vocatus ad virum septuagenarium a sex diebus haernia incarcerata laborantem, cui expertissimus Dominus Chirurgus Doblinger in suburbio Rossau cum multa prudentia et dexteritate adstitit, sed sine effectu; jam a biduo mera excrementa scybalis mixta foetidissima vomitu rejecit, quod etiam in mea praesentia contigit. — Senium, repositio impossibilis haerniae chronicae, accretae, vires jam fractae, teterrimam ominabantur prognosim: tempore prandii misit ad me aeger rogatum, an non ipsi liceret bibere muriam Brassicae *) quam summo desiderio appeteret; libenter hoc concessi, suasi tantum, ne hanc nimio gurgite hauriret: spatio duarum horarum assumpsit libras duas summo cum gustu; aliquoties accessit conatus vomendi, sed semel tantum parcam pituitae quantitatem rejecit; mox oborti sunt Borborygmi in abdomine, multi eruperunt flatus per posteriora, subsecuta sunt excrementa copiosa, et haernia in pristinum statum rediit; unde aeger contra omnem exspectationem convaluit. Eodem momento,

quo ruminabar, quomodo muria Brassicae in haernia incarcerata, ubi optima remedia frustra fuerunt adhibita, tam felicem effectum praestare potuerit, ingressa est ad me haec senicula, et contra Taeniam remedium petiit; cepi in arena consilium, suasi pauperculae usum muriae Brassicae spe fretus, idem remedium **) utpote solvens, incidens, eccoproticum, etiam in hoc casu convenire posse; et effectus spem non fefellit.

*) *Brassicam ad alvum movendam et biliosa educenda iam commendat Hippocrates (de diaeta II. vers. 26).*

**) *Muria Brassicae est succus Brassicae capitatae albae, in quo sal gemmae est solutus: modus condiendi Brassicam capitatam in Germania praecipue superiori sequens est; circa finem autumni, ubi pruina iam incipit dominari, colliguntur capita Brassicae, remotis caulibus et foliis exterioribus in medio discinduntur, et supra dolabram in fila raduntur: coacervata quantitas in vasa ampla Lignea immittitur ita, ut in principio ponatur stratum Brassicae rasae ad altitudinem palmae, huic inspergitur salis-gemmae proportionata quantitas cum aliqua portione seminum cumini: superimponitur dein novum stratum Brassicae rasae, quod iterum conspergitur sale et cumino, et hoc tamdiu continuatur, donec totum vas fuerit repletum; haec*

massa tandem a viro forti mundis pedibus calcatur, tegitur operculo ligneo, cui imponuntur lapides sat grandes, ut horum pondere optime compressa maneat: extricatur tali ratione succus, qui successive supra coperculum colligitur, et sub nomine muriae Brassicae venit; si hic succus saepius amovetur, et remoto coperculo Brassica in superficie, vas ligneum simul in interno ambitu mundatur, et talis apparatus in loco frigidiusculo asservatur, haec massa per annum corruptioni resistit, et Germanis et pluribus aliis nationibus gratissimum est ferculum, praecipue si juxta morem nobilium Phasianus, aut uti cives et rustici solent, caro suilla fumata vel caro bubula in regione ventris exscissa simul coquitur: Brassicam sic coctam germani terve quaterve recoquunt, et tunc primum in deliciis habent: multum ergo haec differt a Brassica marina, antiquis nota, et crambe vocata, de qua canit Juvenalis satyr 7. 153. occidit miseros crambe repetita magistros.

CASUS V.

Mulier triginta sex annorum a quatuor abhinc annis multis incommodis praecipue nervosis vexata a biennio saepius articulos Taeniae in sua matula observavit: variis tandem usa remediis interdum duas tresve ulnas huius vermis ano excrevit; cum vero illa incommoda inde non cessassent, et ipsi obambulanti saepius de die plures articuli

vivi per posteriora exsilirent, a me petiit consilium: remedium Nufferianum pro hac foemina aptum fore iudicavi; ut autem mucus antea incideretur, quo primae viae scatebant, et pro parte etiam nervis prospiceretur, ordinavi sequens remedium.

℞. Magnes. muriae drach. vj.
Arcan. duplicat. unc. semis
Castor. gran. xx.
Sacchar. alb. drach. ij.
Ol. foenicul. gutt. iv.

M. f. pulv., de quo sumat aegra ter de die duo parva cochlearia ex duabus unciis aquae communis.

Sumpsit aegra totam dosim, et plurimi articuli Taeniae etiam cohaerentes fuerunt excreti; symptomata ipsi videbantur mitigata; hinc suasi, ut idem remedium repetatur.

Tertia die a continuata secunda portione incepit abdomen vehementer inflari, et aegra adeo angebatur, ut sibi a suffocatione metueret: iniectum fuit sequens enema.

℞. Infus. flor. chamomill. vulg. unc. viij.
Ol. lini.
Mel. commun. aa unc. j. Mis.

Haud diu post cum enemate eruperunt multi flatus, et post horae quadrantem Taenia integra sedecim ulnarum, quam ipsemet examinavi; a quo tempore haec mulier optime se habet.

CASUS VI.

Juvenis viginti duorum annorum Helvetius Basiliensis a tertio aetatis suae anno, uti a parentibus suis intellexit, ex subitaneo terrore epilepticus; paroxismi omni die terve quaterve recurrebant usque ad decimum quintum aetatis annum, ubi pubertate solvebantur. Stante morbo epileptico saepissime excrevit lumbricos; ante triennium prima vice observavit in matula articulos Taeniae; imploravit tunc auxilium expertissimi Physici Basiliensis Domini Buxdorff; qui oleo lini per epicrasin exhibito decem ulnas Taeniae expulit: iuvenis se a malo hoc hospite jam liberatum esse suspicatus Viennam petiit; haud diu hic demorans centena, uti antea, sensit incommoda ita, ut plurimis medicamentis per tres menses incassum adhibitis tandem coactus fuerit auxilium in Nosocomio publico quaerere, ubi ad scholam clinicam fuit susceptus. Habitus corporis apparebat quidem sat robustus, color autem faciei fuit

terreus, pupilla dilatata, albuginea cinerea, palpebra inferior tumidula; conquerebatur praeterea de pruritu narium, de vertigine, de copioso affluxu salivae, de sapore et ructibus biliosis, et de frequenti palpitatione cordis; respiratio fuit sat libera, hypochondria autem inveni valde infarcta. Cum alvus a triduo jam fuit constipata, injecto enemate emmolliente cum melle et oleo satis magna quantitas scybalorum induratorum cum aliquot articulis Taeniae fuit excreta: in usum internum exhibita fuit sequens mixtura.

℞. Aquae commun. unc. x.
Arcan. duplicat. unc. semis
Syrup. foenicul. unc. j.
Mis. S. sumat aeger omni bihorio cochlearia duo.

Per quinque dies continuavit usum hujus remedii, et praeter magnam quantitatem muci etiam plures Taeniae articuli omni die fuerunt eliminati. Sexta die summo mane jejuno ventriculo exhibui sequentem haustum.

℞. Pulv. rad. Filicis mar. dr. iij.
Aquae commun. unc. vj.
Mis. sumat pro una vice.

Bihorio post sumpsit olei amygdalini recenter pressi uncias quatuor cum jusculo; post dimidiam horam injectum fuit enema ex unciis octo olei lini; altero bihorio elapso rursus cum jusculo fuerunt exhibitae unciae quatuor olei amygdalini: post horae quadrantem aeger incepit conqueri de ructibus nidorosis et conatu ad vomitum; accedebant frequentes Lypothymiae, palpitationes cordis, tormina in abdomine, et tenesmus: hora quinta pomeridiana prima vice mota est alvus cum unico Taeniae articulo; circa mediam sextam summe formidabilis symptomatum caterva irrupit: facies fit cadaverosa, aeger non sibi praesens balbutit, pulsus est rhytmo et tempore inaequalis, tardus et debilis; subinde convellitur, abdomen tumet, et extrema frigent: scopo analeptico unum, alterumve cochleare vini boni exhiberi jussi, et cum ex ejulatu et variis corporis jactationibus facile judicare potuerim, pauperculum doloribus colicis laborare, denuo fuit injectum enema oleosum, quod post quadrantem horae iterum dimisit cum quatuor ulnis Taeniae; cum vermis caput deesse, aegri vires autem quodamodo auctas observassem, exhibui successive Salis amari uncias duas in infuso florum verbasci solutas: hora vix elapsa de novo sen-

sit

sit tormina in abdomine et nisum ad deponendam alvum. Excrevit tandem Taeniam integram octo ulnarum et quinque pollicum; jusculo ex vino et vitello ovi parato languentis vires fuerunt refectae; unde noctem placidissime transegit. Expulso verme per octo dies adhuc mansit hic juvenis in schola clinica. Ad tollenda incommoda ventriculi a tanta quantitate assumpti olei orta omni die ipsi exhibita fuit libra una infusi ex herbis amaricantibus parati: tandem sanus et hilaris ad sua negotia rediit. Summopere gaudebam, quod eodem tempore filius Domini Puxtorff, Physici Basiliensis, in schola clinica vindobonensi, quam diligentissime frequentavit, fuerit praesens, aegrum adhuc noverit, et curam, cum oleo ab optimo Patre inceptam, eodem remedio feliciter etiam absolutam viderit.

CASUS VII.

Foemina viginti quinque annorum caelebs, gracilis, gibosa, cachectica, a biennio excrevit articulos Taeniae interdum ad duas tresve ulnas concatenatos: interea frequentissime spasmis hystericis et saepe palpitationi cordis, dolori capitis obtuso circa occiput, pruritui narium etc. fuit obnoxia. Cum

haec symptomata continuo increvissent, auxilium in nosocomio publico quaesivit, et ibi ad scholam clinicam fuit suscepta. Ad mucum, quo scatebat, incidendum ordinata fuit mixtura salina, quae per sex dies fuit continuata: singulis diebus excrevit magnam quantitatem muci cum scybalis, sed sine ullo Taeniae articulo. Die septimo mane jejuno ventriculo sumpsit pro dosi pulveris radicis filicis maris drachmas tres cum sufficienti quantitate aquae communis: post intervallum duarum horarum ipsi exhibitae fuerunt binae unciae olei amygdalini recentur pressi cum unciis tribus jusculi tenuis. Media hora elapsa injectum fuit enema ex olei lini unciis octo, et post dimidiam horam denuo cum jusculo sumpsit uncias duas olei amygdalini. Circa meridiem accedebant tormina in abdomine, cardialgia, levia animi deliquia, vomiturítiones, vomitus, et spasmi hysterici. Denuo fuit injectum enema ex mero oleo lini. Ad vesperas tormina abdominis valde augebantur cum nixu continuo ad deponendam alvum: derepente exclamavit se sensum habere ac siquid ex ano esset pendulum. Re examinata jam una alterave ulna Taeniae propendebat; unde aegrae sellae perforatae insidenti exhibui uncias duas salis amari in libra una infusi florum verbas-

ti soluti; prohibui, ne digitis conetur vermem extrahere, neque se ad lectum componere audeat, donec sal amarus incipiat operari. Post innumera fere per integram horam in hoc situ perpessa incommoda abdomen incepit extendi; subsecuti sunt borborygmi; multi eruperunt flatus sonori: tandem Taenia integra longitudinis decem ulnarum fuit excreta. Noctem quietissime transegit; subsequenti die Taenia integra praecipue vero caput tripapillare in uncum desinens in schola clinica omnibus praesentibus sub microscopio fuit exhibitum. Nunc de solo malo hysterico conquerebatur aegra, quod remediis antihystericis et roborantibus ita fuit compositum, ut spatio viginti dierum ab expulsa Taenia optime se habens scholam clinicam deseruerit.

Licet pauperculae huic foeminae Taenia integra fuerit expulsa, et per viginti dies, quibus adhuc in schola clinica commorabatur, nec unicus articulus in excrementis comparuerit: post sex tamen septimanas prioribus vexata incommodis denuo ad nos rediit, et aliquot articulos Taeniae recenter excretos secum attulit. Elegi eandem curandi methodum, quae antea ipsi conduxit. Usus mixturae salinae per sex dies continuatus iterum magnam quantitatem muci, sed

sine ullo Taeniae articulo eliminavit. Exhibui tandem pulverem rad. filicis maris, ut supra, et post bihorium oleum amygdalinum; tandem injectum fuit enema oleosum. Vix elapsis tribus horis tres ulnae Taeniae fuerunt excretae, sed sine capite; aegra interea de nullo alio incommodo conquerebatur, quam de borborygmis. Circa septimam vespertinam, cum alvus ex integro siluisset, ordinavi sequens remedium

℞. Mannae calab. unc. ij.
Rad. foenicul.
Cremor. tartari ââ unc. semis

Infunde in unciis decem aquae fervidae per $\frac{1}{4}$ hor. Colaturam exhibe.

Signetur, sumat aegra totam hanc portionem spatio dimidiae horae.

Decies inde fuit mota alvus, sed nec unicus Taeniae articulus comparuit: media duodecima noctis iterum visitavi aegram. Conquesta est de ructibus, borborygmis, et tensione abdominis: jussi, ut enema oleosum injiciatur: post dimidiam horam dimisit enema sine articulo Taeniae. Mox curavi applicari enema salinum; post horae quadrantem tenditur abdomen, oriuntur spasmi, et nixus ad alvum deponendam. Tandem excer-

nitur vermis integer octo ulnarum cum dimidia vivus, quem illico in vas amplum aqua tepida et pauxillo lactis ad pollicis altitudinem repleto immisi. Cum meo assistente D. Doctore Mesola fere per duas horas contemplatus sum varios motus hujus vermis, qui in principio fuerunt sat vivi, successive vero (licet aliquoties aquam tepidam cum lacte superaffundi curaverim) inceperunt languere; tandem ex integro deficere. Eliminato hoc verme spasmi hysterici aegram iterum vehementer vexarunt; usu autem decocti valerianae sylvestris et foliorum aurantiorum fuerunt sedati, ita, ut post quindecim dies nullo afflicta incommodo nosocomium deseruerit; suasi ipsi tamen, ut etiam domi per aliquod tempus usum hujus decocti continuet. Saepius postea ad nos rediit, et semper se optima sanitate gaudere confessa est.

CASUS VIII.

Foemina viginti trium annorum, valde robusta, officiis culinaribus fungens ob copiosam excretionem articulorum Taeniae, qui ipsa inscia omni fere die ex ano prosiliebant, et per pavimentum hinc inde saltabant, nosocomium petiit. Ad Scholam clinicam suscepta conquesta est pruritum narium,

continuum salivae in os affluxum, et frequentem spasmum in regione cordis. Pulsus fuit naturalis, respiratio libera, sapor oris biliosus, lingua flavescens; narravit praeterea, se jam a prima juventute, cum abdomen semper tumidum habuit, datis remediis lumbricos sursum et deorsum ejecisse. Undecimo aetatis anno prima vice menstrua vidit, et omnis periodus cum doloribus abdominis rediit. Decimo quinto aetatis anno correpta fuit fluore albo, rodente, qui toties lachrymas expressit, quoties urinam excernere voluit: ob verecundiam per sex et ultra annos omnem curam neglexit, praecipue cum fluor albus successive mitior evaserit. Progressu temporis vero in extremitatibus superioribus et inferioribus atroces sensit dolores, maxime de nocte, et saepius plures articuli Taeniae ad longitudinem dimidiae ulnae concatenati ex ano eruperunt. Cum puella satis torosa et viribus pollens fuerit, diutius adhuc haec incommoda tulisset, nisi sociarum, quae saepius deciduos Taeniae articulos per pavimentum saltare observarunt, ludibrio se subtrahere voluisset.

Cura incepta fuit ab enemate emmollienti et mixtura salina; unde magna muci et scybalorum quantitas fuit eliminata. Per octo dies eadem medendi methodus fuit continua-

ta semper cum eodem effectu: dolores artuum increverunt; accessit dolor abdominis, et frequens singultus, salivae affluxus fuit auctus, urinae fuerunt limpidae, noctes inquietae: injectum fuit sequens enema.

℞. Decocti emmollient. unc. v.
Asae foetidae gran. decem
Ol. lini unc. ij. Misce.

Nullum inde levamen sensit; pertinax subsecutus est singultus et dolor in scrobiculo cordis. Sequenti mane, cum post somnum duarum circiter horarum dolor et singultus cessarunt, sumpsit Bolum sequentem.

℞. Pulv. rad. jalapp. sacchar. optime tritae Scrup. ij.
Mercurii dulc.
Asae foetidae aa gr. vj.
Roob Sambuc. quant. satis.
M. f. bolus, detur pro dosi.

Octies inde fuit alvus mota foetida, biliosa sine articulo Taeniae; urinae fuerunt limpidae: circa vesperas accessit tussis ferina, quae nec syrupo diacodii, nec laudano potuit compesci. Post mediam noctem tussis siluit, aegra obdormivit, et circa quintam

matutinam evigilans magnam quantitatem scybalorum cum multa materia foetida, biliosa excrevit sine articulo Taeniae. Post meridiem de novo recruduit tussis rauca, sicca, valde profunda, affluxus salivae auctus, urinae spasticae, alvus enemate sollicitata, scybalosa, biliosa; de Taenia nihil. Ad vesperas injectum fuit sequens enema.

℞. Camphor. gran. x.
solve in olei lini unc. j. adde
infusi flor. Chamomill. vulg. unc. viij.
Mel. communis unc. j.
Misc. detur.

Post mediam noctem idem enema fuit repetitum. Subsecuta est alvus copiosa, scybalosa; de Taenia nec vestigium. Hora sexta matutina accesserunt menstrua mere aquosa, quae per quinque dies continuarunt, finito hoc fluxu sponte evanuit tussis illa spastica, et reliqua etiam symptomata fuerunt mitigata; de pruritu narium tantum, et de ingrato sapore conquerebatur aegra, et urinae manserunt limpidae. Durante fluxu menstruo assumpsit ter te die vasculum infusi tenuis florum chamomillae vulgarium, quod etiam finito jam hoc cursu adhuc per triduum fuit continuatum. Ad expellendum vermem elegi

tunc methodam Nufferianam. Praemisso ad vesperas enemate emmollienti, die sequenti hora quarta matutina sumpsit pulverem rad. filic. maris, et post bihorium Bolum: circa horam octavam matutinam accesserunt tormina abdominis, venter valde intumnit, et spasmi fere totum corpus vexarunt. Post horam subsecutus est validus pruritus in ano, et nixus ad alvum deponendam: post praevios multos flatus excrevit Taeniam integram novem ulnarum. Haec cum eodem tempore agerentur, quo copiosa candidatorum corona cinctus in schola clinica aegros visitavi, optimam nactus sum occasionem hunc vermem tam oculo nudo, quam armato examinandi, et omnibus auditoribus publice demonstrandi. In fine cessit in donum cuidam Domino Doctori extero, in auditorio praesenti, qui licet jam binas dissertationes de Taenia typis mandasset, publice tamen fassus est, se Taeniam in natura, praecipue vivam, nunquam vidisse.

Aegra analepticis refecta post prandium hilaris lectum deseruit, et in cubiculo obambulavit. Sequenti die ad systema nervosum roborandum sequentes pillulae fuerunt praescriptae.

℞. Extract. rad. Valerian. sylv. dr. iij.
— Cort. peruv. dr. ij.
— martis pomat.]
— Rhei aa dr. j.
Castor. gr. xx.
Tinctur. visceral. quant. satis.

Misce. fiant pillulae granor. iij. conspergantur pulv. Semin. foeniculi; Sig: Sumat aegra ter de die Nro. IV., et desuper bibat vasculum sequentis decocti

℞. Fol. aurantior.
Rad. foenicul. aa dr. ij.
Concis. coque vase clauso per ¼ horae
Colaturae librae j.
adde
Syrup. Menth. unc. j.
Misce.

Usum horum medicamentorum continuavit aegra per viginti dies, et nec minimum a spasmis insultum amplius passa est; dolores tantum nocturni ipsam adhuc valide vexabant. Unde, ut miasma syphiliticum quoque corrigeretur, sequentia fuerunt in usum vocata.

℞. Magnes. muriae dr. vj.
Gummiresinae guajaci.

Aethiop. mineral.
Extract. aconit. aa dr. j.
Sacchar. alb. dr. ij.
Ol. foenicul. gutt. iij.

Misce, fiat pulvis subtilissimus, de quo sumat aegra ter de die drachmam semis; mane nempe, dum adhuc in lecto decumbit, hora ante prandium, et ad vesperas, dum ad lectum jam est composita; singulis autem vicibus desuper bibat uncias quatuor Decocti sequentis

℞. Rasurae ligni sancti unc. j.
coq in S. q. aquae per horam, sub finem adde
Rad. Bardan. unc. j.
Stipit Dulcamar. dr. iij.
conc. coq adhuc per ½ horam; colaturae unc. xv.
adde Sacchar. alb. quant. satis ad gratiam.

Ab usu horum remediorum urina et transpiratio insigniter fuerunt auctae, et spatio quindecim dierum aegra jam adeo bene se habuit, ut nosocomium deserere voluerit; suasi autem, ut ad minimum per decem dies hanc curam adhuc continuet. Cui consilio etiam obtemperavit, et tandem a tribus hos-

tibus sat gravibus liberata scholae practicae valedixit.

CASUS IX.

Juvenis viginti duorum annorum, Medicinae candidatus, gracilis corporis habitus, in prima juventute, quantum recordabatur, lumbricis laboravit. Post usum variorum remediorum ita fuit restitutus, ut ad vigesimum primum aetatis annum nulla de vermibus incommoda amplius senserit. Anno 1789 mense Junio valida colica ex ignota causa fuit correptus, et sponte tunc ulnas quatuor circiter Taeniae alvo excrevit: ab eo tempore varia adhibuit remedia anthelmintica ab amicis suggesta: sed incassum.

Duodecima Decembris 1790 ad scholam clinicam fuit susceptus. Conquestus est de vertigine, de nausea praecipue a victu glutinoso, de torminibus ventris, tenesmo, et excretione salivae copiosiori, maxime tempore matutino; aderat simul pruritus narium et nisus continuus in res aromaticas, et spirituosas; quae symptomata ab anno et ultra omni tertia septimana valde exacerbata sensit: (an hoc ab influxu Lunae?) in Schola Clinica ad incidendum mucum ipsi exhibita fuit mixtura salina, quae per septem dies

continuata magnam quotidie muci copiam eduxit sine ullo Taeniae vestigio.

Decima nona Decembris exhibitum fuit sequens Electuarium,

℞. Allii minutim scissi et contriti unc. semis.
Syrup. fumariae, quantum satis.

Misce, fiat Electuarium, de quo sumat aeger quater de die duo parva cochlearia.

Usus hujus remedii per tres dies fuit continuatus; tertia die excrevit unum articulum sat alacrem per plura minuta viventem. Denuo per biduum sumpsit mixturam salinam, quae iterum magnam muci copiam eduxit.

Cum vigesima quinta circa vesperas tormina abdominis, magna anxietas, vertigo, titubatio genuum etc. accessissent, enema oleosum fuit injectum.

Vigesima sexta cura Nufferiana (methodo superius jam descripta) fuit adhibita. Hora post assumptum bolum sensit dolores colicos, leves Lipothymias, vertiginem, susurrum aurium, et magnam anxietatem in regione cordis; plures alvo excrevit articulos fere omnes vivos, qui in aquam frigidam immissi apparebant mortui: reviviscebant autem subito in aquam tepidam depositi. Alvus ex dato bolo drastico sexies fuit mo-

ta, sed a meridie penitus siluit. Unde hora tertia pomeridiana exhibitae fuerunt unciae duae salis amari in infuso florum verbasci solutae, et enema oleosum fuit injectum. Remedium salinum interne assumptum post horae quadrantem revomuit; aliquoties tamen alvum deposuit cum multis articulis Taeniae. Vesperi exhibitum fuit sequens purgans

℞. Pulv. rad. Jalapp. saccharo diu tritae dr. semis.
Arcani duplicat. Scrup. duos
Syrup. Rosar. solutiv. quant. satis
Misce, fiat Bolus, detur pro dosi.

Praeterea spatio unius horae duo enemata oleosa fuerunt injecta, sed omnia haec sine effectu. Circa mediam noctem ordinavi olei amygdalini libram semis, ut aeger sumat omni media hora uncias duas cum jusculo: sumpsit totam dosim absque effectu. Tandem obdormivit. Circa quartam matutinam sensit nixum ad alvum deponendam, et excrevit quatuor Taenias integras; unam jam magis adultam, sat latam viginti quatuor ulnarum; alteram, juniorem minus latam decem; tertiam unius ulnae; quartam minutissimam vix dimidia linea latam et decem pollices longam. Singuli hi vermes eadem die in scho-

la clinica publico omnium auditorum examini fuerunt expositi, et dein in spiritu vini asservati. Praeterea (quod notatu summe dignum est) deteximus oculo armato notabilem copiam foetuum, qui subtilissimo capillo tenuiores vix lineam longi cum muco jam aqua diluto fuerunt commixti. Quis jam dubitet Taeniam latam esse viviparam? Dominus Protochirurgus de Brambila, cum quatuor has Taenias (quamlibet separatim) ex capillo suspensas, in vase vitreo spiritu vini repleto, optime asservatas in meo musaeo vidisset, magnum prodidit desiderium hunc apparatum possidendi: quem ipsi lubentissime concessi.

Siquis perpenderit, quantum patientiae et laboris medicus tali aegro sacrificare debeat; mirari desinet, illos minus felices esse, qui eo die, quo curam absolvere volunt, aegrum vix, vel semel tantum aut bis vident. Ex allatis casibus patet, quot horis diei ac noctis ex insidiis stare, quoties arma acuere, et pertinacem hunc hostem de novo aggredi debuerim, usque dum totus ex suis recessibus fuit elicitus. Vir probus et ingenuus nunquam gloriatur de expulsa Taenia, si eliminatis etiam pluribus ulnis caput non invenit, aut saltem per varia instituta tentamina se convictum novit, caput jam fuisse

excretum. Memoratu dignum exemplum habetur in casu sequenti.

CASUS X.

Coqua viginti quatuor annorum, robusta, caelebs, jam a prima juventute saepissime convulsionibus epilepticis fuit obnoxia. Dum decimum quartum aetatis annum ageret, prima vice vidit Catamenia: symptomata epileptica ab eo tempore evanuerunt, et optima fruebatur sanitate usque ad annum aetatis vigesimum, ubi frequenti corripiebatur vertigine, pruritu narium, nausea, salivatione, et dolore quasi rodente circa cor. Accedebant saepius tensiones, tormina abdominis, tenesmus et diarrhoea cum pluribus articulis Taeniae: per tres annos morbum neglexit. Ante sex menses incidit in Ephemeram per quindecim dies protractam. Sub decursu hujus morbi integram ulnam Taeniae sponte alvo excrevit; ante tres vero septimanas sex articulos vomitu rejecit.

Sexta Februarii 1791 a nimio saltu aestuans se frigori exposuit; die subsequenti valde debilitata circa vesperas corripitur horripilationibus, doloribus vagis, et noctem inquietissime transegit. Altera die accedunt frequentes vicissitudines frigoris et caloris,

cepha-

cephalalgia, dolores artuum acerbiores, sitis, inappetentia, oris amarities, vomitus glutinosus, amarus; ad vesperas tussis, dolor pungens in latere dextro thoracis, sub inspiratione et tussi semper auctus; somnus fuit inquietus.

Nona Februarii quum ad scholam clinicam delata esset, symptomata mox enarrata pro maxima parte eadem deprehendimus. Ob febrem autem admodum validam et tussim vix non continuam hic instituta fuit venaesectio ad uncias decem: ob alvum segnem enemata emmollientia repetitis vicibus fuerunt injecta; lateri dolenti fomentum siccum fuit appositum; in usum internum sequens fuit ordinatum eccoproticum

℞. Prunor. enucleat. unc. jj.
Rad. gramin. unc. j.
concis. coq. in s. q. aquae per ½ hor.
colatur. Lib. j. et semis adde
Arcan. dupl. drach. vj.
Nitri pur. drach. j.
oximel. simpl. unc. jj.

Mis. detur, sumat aegra omni bihorio vasculum tepide; pro potu ordinario exhibitum fuit decoctum hordei cum oximelle simplici.

Post venaesectionem febris mitior, et dolor lateris tantum sub inspiratione profunda obtuse sensibilis: facies vero biliosa, linqua obsessa, flava, amarities oris; hypochondria plena, ad attactum dolentia, vertigo, pruritus narium, salivatio, anxietas circa regionem cordis, urina biliosa, alvus nulla.

Decima. Cum alvus adhuc clausa esset, enemata sale communi. Comista, et decocto eccoprotico binae unciae electuarii lenitivi additae fuerunt; sexies deposuit alvum biliosam. A prandio menstrua comparuere. Vesperi nulla exacerbatio.

Undecima. Dolor a latere dextero ad sinistrum transiit; temulentia capitis adaucta, linqua impurior, aliquot articuli Taeniae cum alvo excreti: circa vesperas dolor obtusus in latere sinistro perseveravit, alvus fuit ter mota, biliosa, foetida; urina turbida cum sedimento mucoso. Cum alvus sufficienter responderet, continuatum fuit idem decoctum eccoproticum, electuario tamen lenitivo ad drachmas tres restricto, omissoque arcano duplicato. Enemata fuerunt injecta mere emmollientia sine sale. — Noctem satis quiete transegit.

Duodecima. Tussis et lateris dolor vehementior, lingua non adeo impura, men-

struorum silentium, pulsus febrilis sine duritie; alvus septies mota, biliosa cum multis articulis Taeniae. Usus medicaminum continuatus.

Decima tertia, *quarta*, *quinta*, *sexta et septima* sub usu eorumdem medicamentorum nulla alia mutatio fuit observata, quam quod dolores rheumatici fuerint vagi; alvus autem et urina semper manserunt biliosae indolis.

Decima octava, aegra aliquot articulos Taeniae sat latos vomitu ejecit.

Decima nona, nulla mutatio.

Vigesima, jam summo mane accessit frigus, tremor artuum, dolores rheumatici magis atroces, frequens conatus vomendi, titillatio in faucibus, acsi vermis sursum reperet; pulsus spasticus, febrilis. Exhibitum fuit sequens remedium

℞. Rad. Ipecacuanh.
Cremor. Tartar. aa. gran. xxv.
M. f. pulvis, sumat pro dosi.

Quater inde vomuit materiam glutinosam, bile, et quatuor articulis Taeniae mistam; alvum sexies deposuit biliosam, foetidam sine ullo articulo. A meridie calor magnus, nausea, lingua impurissima: noctu

somnus inquietus, sudor non levans, subdelirium, alvus et urina biliosa.

Vigesima prima, omnia in eodem statu; oculi tristes et dolores rheumatici vehementiores. Circa vesperas accessit magna exacerbatio in seram noctem usque protracta cum cephalalgia, calore forti, siti et pulsu veloci, irregulari; excreta alvina fuerunt biliosa, foetidissima; somnus circa auroram interruptus. Usus Eccoproticorum fuit continuatus.

Vigesima secunda mane physiognomia aegrae apparebat hilarior, lingua non adeo impura, et pulsus vix febrilis. A meridie nova exacerbatio cum horrore et calore continuo alternantibus; dolores rheumatici occupabant artus, thoracem, et abdomen; inspiratio profunda fuit intercisa, facies rubra, sitis magna, pulsus febrilis, sed non irregularis; nox pro maxima parte inquieta. Tandem subsecutus est sudor non nihil levans, urina cum sedimento furfuraceo, et alvus biliosa cum articulis Taeniae: remedia eadem.

Vigesima tertia. Mane symptomata mitiora; circa quartam pomeridianam horripilatio, calor, sitis, cephalalgia, pulsus celerior et elevatior, dolores rheumatici magis acerbi; tandem sudor per bihorium fere continuans. Nox fuit inquieta, urina cum

sedimento furfuraceo, alvus quater deposita vitellina, foetidissima sine articulis Taeniae.

Vigesima quarta. Dolores rheumatici ex integro cessarunt; inspiratio fuit libera; desideravit aegra haustum aquae frigidae; exacerbatio nulla: redierunt menstrua, alvus iterum biliosa cum aliquot articulis Taeniae.

Vigesima quinta et sexta sat bene se habuit aegra, exacerbatio nulla, alvus vero semper biliosa.

Vigesima septima. Vesperi pulsus mollis, somnus inquietus, insomnia terrifica; urinae parcae, cum ardore missae, alvus biliosa sine articulis.

Vigesima octava mane. Facies aegrae tristissima, collapsa, stupor, animus dejectus, pulsus debilis, rhytmo et tempore inaequalis; respiratio anxia; abdomen magis tensum, ad attactum dolens; lingua sicca, impura, sitis magna, frequens nisus ad vomitum; unde sequentia medicamenta fuerunt ordinata.

℞. Prunor. enucleat. unc. jj.
coque in s. q. aquae per $\frac{1}{4}$ hor. sub finem
adde
Flor. arnicae dr. jj.
Rad. contrajervae unc. β.
Stent in infusione calida per $\frac{1}{4}$ hor. colat.
Lib. unius et semis adde

Arcani duplicat. dr. j.
Syrup. Rub. idaei unc. jj.
Misce.

℞. Spirit. Sal. ammoniac. aquos dr. j.
Acet. antiseptici q. s. ad perfect. saturat. adde
Aquae melissae simplic. unc. vjj.
Camphor. pin. subact. gr. x.
Syrup. Contrajerv. unc. j.
Misce.

His medicaminibus aegra omni hora usa est, ita, ut una duo cochlearia mixturae, altera vero vasculum decocti sumeret: praeterea bis clisma injectum fuit. Ad vesperas stupor minor, pulsus magis regularis et elevatior; nox sat quieta, urina parca, biliosa, alvus biliosa, foetidissima sine articulo Taeniae.

Prima Martii mane. Vires magis erectae, pulsus elevatior, facies hilarior, stupor minor: ad vesperas pulsus iterum debilior, magis irregularis, alvus biliosa, foetida sine articulo vermis, urinae crocei coloris. Remedia eadem; suris vericantia fuerunt applicita.

Secunda mane. Pulsus valde debilis et irregularis, nares fuliginosae, crustae nigrescentes circa dentes, subsultus tendinum, sub-

delirium perstans: vesicantia etiam brachiis fuerunt apposita, et omni bihorio exhibita fuerunt duo cochlearia mixturae sequentis

℞. Spirit. Cornu Cervi drach. j.
Sal. volatil. succini quant. satis
ad perfectissimam saturationem. Adde
Aquae Meliss. simpl. unc. vjj.
Camphor. pin. subact. gr. x.
Syrup. Contraiervae unc. j.
Mis.

A meridie nulla mutatio, urina cruda, alvus enematibus sollicitata biliosa sine vestigio vermis: nox inquieta.

Tertia. Status morbi idem. Vesicantia fuerunt apposita ad femora, mixtura et enemata continuata; a meridie et ad vesperas omnia in eodem statu. Nox inquieta, insomnis, urina cruda, alvus biliosa.

Quarta mane. Lumbricum album, decem fere pollices longum, sat crassum alvo excrevit; aegra sibi praesens, pulsus magis regularis et elevatus; urina cruda, alvus biliosa, somnus per intervalla magis tranquillus: post mediam noctem cum excrementis biliosis deposuit frustum Taeniae colore ex flavo viridescenti quasi injectae, longitudinis sex pollicum.

Quinta et sexta nulla mutatio.

Septima. Pulsus iterum collapsus, et meteorismus; priora remedia fuerunt continuata, et abdomini fomentum antisepticum fuit applicitum.

Octava. Pulsus magis elevatus, abdomen mollius, urina biliosa cum nube globosa; alvus biliosa cum pluribus articulis Taeniae.

Nona. Post noctem quiete transactam mane facies fuit hilaris, urina cum sedimento furfuraceo, rubescente, alvus flava cum articulis Taeniae.

Decima. Dolor rheumaticus in humero sinistro, cutis tanspirabilis; pulsus vix febrilis, urinae cum sedimento lateritio, alvus biliosa cum articulis Taeniae quasi maceratis, abdomen mollius et indolens.

Undecima. Sudor per totum corpus; dolor rheumaticus evanuit, pulsus naturalis.

Duodecima aegra optime se habuit; incepit appetere; hic omissis omnibus remediis usu ciborum eupeptorum successive ita fuit restituta, ut tandem lectum deseruerit, et in cubiculo obambulaverit. Cum spatio quatuordecim dierum vires sufficienter recuperasset, in Taeniam agere decrevi.

Vigesima quinta exhibita fuit sequens mixtura:

℞. Aquae commun. destill. unc. vjj.
Arcan. duplicat. drach. jj.
Spirit. Nitri dulc. gutt. x.
Syrup. flor. Chamomill. unc. j.
M. d. sumat aegra omni bihorio cochlearia duo.

Magna inde subsecuta est excretio muci per alvum, quam post tot praevias purgationes nemo sperasset; unde haec mixtura per quinque dies fuit continuata; sed nullus cum muco Taeniae articulus in conspectum venit.

Trigesima. Hora sexta matutina jejuno ventriculo sumpsit haustum sequentem

℞. Pulveris rad. filicis maris recenter parat. dr. jjj.
Aquae communis Lib. semis.
Post dimidiam horam aegrae injectum fuit sequens enema,
℞. Rad. filicis mar. unc. j.
concis. coq. in s. q. aquae per dimidiam horam, colaturae unciarum octo adde
Pulveris rad. filicis mar. unc. semis.
Misce.

Bihorio vix elapso ab assumpto pulvere, et injecto enemate aegra incepit languere; accesserunt frequentes lipothymiae; facies

fuit collapsa, et pulsus rhytmo et tempore inaequalis; excrevit aliquot articulos Taeniae. Cum alvus postea ex integro siluisset, exhibita fuit potio laxativa cum tribus drachmis arcani duplicati pro haustu, quo sumto aliquoties purgata fuit sine vestigio vermis; et post has evacuationes alvinas, quae valde foetebant, vires plus erectas sensit: hora quinta pomeridiana exhibitus fuit Bolus sequens pro dosi:

℞. Mercurii dulcis
Scammonei aa. gran. vjjj.
Gummi Guttae gran. vj.
Roob sambuc. quant. satis. Misce fiat bolus.

Repetitis vicibus etiam injecta fuerunt enemata emmollientia modo cum, modo sine stimulo salino; praeter alvum solutam, valde foetidam nihil excrevit. Accessit tandem tensio, et dolor abdominis. *Hora decima nocturna* exhibui haustum ex unciis duabus olei amygdalini cum tot unciis decocti emollientis; bihorio post injectum fuit enema ex unciis decem olei lini. Nulla inde subsecuta est mutatio; hostis, quem vi expellere conatus sum, pertinacissime restitit. *Hora noctis duodecima* de novo exhibui haustum

ex unciis tribus olei amygdalini, quo assumpto aegra incepit placide obdormiscere ad septimam usque matutinam.

Trigesima prima, mane sumpsit salis amari unciam unam et semis in infuso florum verbasci solutam, ex quo septies deposuit alvum liquidam sine articulo Taeniae.

A prima Aprilis ad sextam usque, ne vires aegrae frangerentur, ab omni remedio abstinui; curavi potius, ut pro circumstantiis eupepte nutriretur.

Quinta ad vesperas injectum fuit enema emmolliens.

Sexta methodus Nufferiana in auxilium vocata; inde decies alvum deposuit pultaceam, foetidam sine articulo vermis: vires satis erectae, mens hilaris. Post meridiem partitis vicibus tria enemata salina fuerunt injecta: *hora septima* vespertina sumpsit sequentem Bolum

℞. Pulv. rad. Jalapp. saccharo optime tritae dr. j.
Mercurii dulcis gran. v.
Roob Sambuc. quantum satis. Misce.

Hora decima noctis exhibitus fuit haustus ex unciis duabus salis amari in potu theato solutis.

Undecima noctis applicitum fuit sequens enema,

℞. Decocti emollient. unc. vjjj.
Sal. commun. unc. ß.
Elect. Lenitiv. unc. j. Misce.

Quater deposuit alvum aquosam: circa primam matutinam incepit obdormiscere ad mediam octavam usque.

Hora media octava matutina evigilans bene se habuit; fuit hilaris, appetiit jentaculum; quo vix assumpto conquesta de nixu ad alvum deponendam tres articulos Taeniae sat largos excrevit.

A die septima usque ad decimam quartam Aprilis aegra abstinuit ab omni medicina, optime se habuit, bene appetiit, et sponte omni die alvum deposuit, sine articulo vermis.

Decima quarta ad vesperas sumpsit pro duabus vicibus sequentem linotum

℞. Terebinth. venet. dr. jß.
Syrup. Althae. unc. j. Misce.

Nox fuit quieta. Cum pridie alvum non deposuisset, mane enema emolliens fuit injectum. Post horam circiter aegra incepit

conqueri de cephalalgia, de anxietate; pulsus fuit irregularis, urina ex absumpta terebinthina violam martiam redoluit. *A meridie hora quarta* sponte alvo excrevit aliquot ulnas Taeniae penitus marasmoideae, quilibet articulus in medio fuit extenuatus, transparens, ac si tenuissima pellicula constaret; multi vero in medio ex integro fuerunt perforati, annulum quodammodo repraesentantes. Ab hoc tempore nec unicum amplius Taeniae articulum excrevit: abstinuit ab usu medicamentorum per novem dies.

Vigesima tertia Aprilis sumpsit sequens remedium pro dosi

℞. Pulv. rad. Jalapp. saccharo optime tritae
Arcan. duplicat. aa. Scrupul. jj.
Mercur. dulc. gr. v.
Roob Ribesior. q. s. Misce fiat bolus.

Saepius inde fuit purgata, multa excrevit scybala, sed sine ullo Taeniae vestigio; ceterum optime se habuit.

Vigesima sexta iterum partitis vicibus sumpsit Linctum sequentem

℞. Terebinth. Venet. dr. jj.
Syrup. althae. unc. j. Misce.

Quater alvum deposuit pultaceam; de Taenia nihil comparuit.

Cum omnia haec in publico auditorio clinico in praesentia copiosorum candidatorum agerentur; multi mirati sunt a tot exhibitis purgantibus post morbum adeo gravem vires naturae non tantum non fuisse fractas, sed eliminata saburra manifeste erectas, ita, ut aegra *Vigesima octava* sana et hilaris dimmissionem petierit: quam ipsi concessi hac conditione, ut saepius se in schola clinica sisteret. Quod ultra biennium sancte implevit, sana semper, robusta, et a suo hoste penitus liberata.

CASUS XI.

Juvenis viginti trium annorum, Italus, jam ab infantili aetate (cum lac et farinacea semper in deliciis habuerit) multum a lumbricis fuit vexatus: a novem annis vero saepius per os et per anum articulos Taeniae excrevit.

Quinta Julii ad scholam clinicam susceptus conquerebatur de vertigine, anxietatibus, palpitatione cordis, sensu inediae, frequenti salivatione, et incommodis haemorrhoidum caecarum.

A quinta usque ad nonam sumpsit mixturam leniter solventem, unde quotidie bis terve alvum deposuit mucosam, interdum articulis Taeniae mixtam. Eodem tempore spectabilis Dominus inclytae Facultatis Medicae Decanus *Schosulan* scholae practicae in donum obtulit libram unam *olei Ricini americani*, quod ex ditione veneta obtinuit; cujus sapor adeo blandus erat, ut vix ab oleo amygdalino potuerit discerni; color ex turbido flavus.

Decima Julii exhibita fuit per epicrasin libra semis olei Ricini, ita, ut aeger duo tantum cochlearia omni hora cum pauxillo jusculi sumeret; interpolatis vicibus etiam enemata ex mero oleo lini fuerunt injecta. Ab assumpta tota dosi aliquoties alvum deposuit sine articulo vermis: *hora octava vespertina* sumpsit sequentem bolum

℞. Pulv. Rad. jalapp. saccharo optime tritae drach. j.
Mercur. dulcis gran. vj.
Roob Sambuc. q. s. misce, fiat bolus.

Alvus inde saepius fuit mota sine vestigio Taeniae.

Undecima mane iterum sumpsit olei Ricini unciam unam ex jusculo; quae dosis

post horam fuit repetita; qua elapsa exhibitum fuit sequens purgans;

℞. Potion. laxat. pharmacop. provinc. unc. iv.
Sal. polychrest, unc. semis.
Syrup. foenicul. unc. j. Misce.

Alvus inde mota fuit decies sine verme. *A duodecima ad vigesimam* ab omni medicamento abstinuit; interea tamen saepius excrevit articulos Taeniae sat latos.

Vigesima methodus Nufferiana *hora quinta matutina* in usum fuit vocata. Revomuit primam dosim pulveris rad. filic. maris; secundam vero, quae post bihorium fuit exhibita, retinuit. Elapso bihorio assumpsit bolum purgantem cum tam felici effectu, ut circa *undecimam* vermis jam ad aliquot ulnas extra anum dependeret; aeger licet serio a me admonitus usum salis amari respuit, et curam se citius absoluturum ratus Taeniam digitis extrahere tentavit; quae mox disrupta, jam nec enematibus, nec purgantibus cessit. Cum dein a me intellexit, quod per aliquot dies adhuc exspectare deberet, usque dum de novo curam possemus incipere; ulterioris morae pertaesus dimmissionem petiit, et sic cum familiari suo hoste nosocomium deseruit.

CASUS

CASUS XII.

Mulier triginta duorum annorum, delicatula, parce vivens, a prima juventute ad duodecimum usque aetatis annum lacticiniis potissimum, farinaceis, et dulcibus nutrita, ab ascaridibus et lumbricis vexata, post varia assumpta remedia tandem adeo bene fuit restituta, ut decimo quinto aetatis anno catamenia prima vice sine incommodo comparuerint. Vigesimum primum agens annum nupta marito, spatio quinque annorum tres proles sanas felici partu enixa est, quae uberibus nutricum fuerunt lactatae. A vigesimo sexto aetatis anno sine nota causa saepius insultibus hystericis, palpitationi cordis, doloribus abdominis, et insolitis ructibus fuit obnoxia; accessit anxietas circa praecordia, tussis frequens, sicca, alvus modo segnis, mox dyarrhoica, et successive valde notabilis emaciatio. Interea incredibilem quantitatem remediorum a variis suggestorum assumpsit; ob tussim siccam adeo pertinacem, et emaciationem corporis quam maxime eligebantur remedia demulcentia, mucilginosa, juscula nutrientia, et ad vires erigendas varia analeptica. Ast abdomen sensim cum aequabili duritie magis intumuit: sub decursu hujus morbi saepius comparue-

runt articuli Taeniae modo separati, non nunquam ad octo, decem et duodecim pollices concatenati. Nescio, quo duce ad pauperculam hanc irrepsit agyrta, qui sancte promisit, quod ipsam spatio aliquot dierum ab hoc verme liberare posset, si pro cura sex aureos anticiparet, et totidem solveret cura absoluta. Solvit aegra sex aureos; sumpsit per octo dies medicinam, prouti confessa est, valde ingratam, sed toto hoc tempore, licet terve quaterve alvum deposuit, nec articulum Taeniae excrevit. Audax agyrta nihilominus petiit alteram sostri partem, asserens, quod viribus sui medicamenti tota Taenia ita fuerit comminuta, ut insensibiliter cum excrementis secesserit; quod omnibus praesentibus risum, egregio autem et annosa praxi exercitato Domino Medicinae Doctori Haffner bilem movit, qui temerarium hunc histrionem ex domo pepulit. Cum symptomata continuo in pejus ruerent, et aegra marasmo jam penitus consumpta vix membrum amplius movere posset, undecima Aprilis 1796 prima vice fui vocatus ad consilium. Ad primum aegrae aspectum cohorrui; vidi enim sceleton naturale pelle rigida ex pruno-flavescente obductum; pulsus, respiratio et vox jam incipiebant deficere, lingua fuit arida, contracta, abdomen prominu-

lum, durum, ad attactum dolens. Difficile consilium, ubi aeger jam cum morte luctatur! Ut linguae et faucium ariditati, et pro parte saltem etiam viribus prospicerem, suasi, ut omni hora una vel duae unciae jusculi exhiberentur addito uno alterove parvo cochleari olei amygdalini recentis: quod cum attente fuisset observatum; sequenti mane quinque articulos Taeniae excrevit. Circa vesperas jam vitam agebat minimam, nox fuit inquieta, ingruente aurora quasi flammula fatiscens exspiravit. Rogatus, ut sectionem cadaveris admitteret, maritus annuit; quae postridie hora decima matutina in mea et D. D. Haffner praesentia a meo assistente D. D. de Schmidbauer facta sequentia obtulit.

Sectio Cadaveris.

Aperto thorace apparebant pulmones colore livido instar corii russici scalpello renitentes, copiosissimis tuberculis induratis referti: cor habita ad pulmones proportione sat magnum, in cujus utroque ventriculo latuit quaedam portio sanguinis atri, grumosi: in cavo abdominis hepar parvum, durum; talis etiam lien; ventriculus et intestina in situ naturali, flatibus distenta; omentum ex integro consumptum. Ut contenta

in ventriculo et intestinis rite examinari possent, in oesophago supra cardiam duplex adhibita fuit ligatura, altera aeque duplex circa finem intestini recti. Facta tam superius quam inferius in medio duarum ligaturarum dissectione totum tractum intestinalem cum ventriculo tabulae imposuimus, quem apertum vix non vacuum invenimus. Lente dein et provide intestino duodeno secundum longitudinem dissecto quum culter intestino jejuno adactus esset, ad pollicis distantiam jam in conspectum venit Taenia instar fili subtilis, in varios gyros composita, capite in tunicam villosam demerso. Prosecuti sectionem per integrum jejunum et ileum eorum in decursu articulos jam magis latos, prioribus longiores et papillis instructos observavimus, qui sat firmiter tunicae villosae adhaerebant: in caeco vidimus notabilem portionem quasi coacervatam, cujus extremitas propagabatur in colon; hic decurrebat vermis ad plurium pollicum longitudinem, sed successive strato supra stratum adeo bene compositus, ut tantae longitudinis vermis vix arte melius collocari potuisset: eo loco, ubi colon in rectum desinit, lato fine cessavit. Canalis intestinalis materia excrementitia fuit inquinatus, et Taenia hinc inde sat firmiter

tunicae villosae adhaesit; unde totum apparatum immisimus in patinam sat amplam ad sex pollices aqua tepida refertam, quae eo usque fuit renovata, donec tota intestinorum immundities fuit expurgata. Separavimus tunc vermem a tunica villosa, ab intestino colon superiora versus incipiendo; qui labor in principio facile cessit; difficilius, dum Taeniae collum ab intestino separare voluimus, firmiter enim ibi agglutinatum haerebat; difficillime, dum caput cum unco ex tunica villosa extrahere tentavimus. Ne caput abrumperetur, illam villosae partem, cui adhaerebat, sollicite separavimus, sed impossibilis fuit extractio sine dilaceratione. Longitudo totius Taeniae fuit undecim ulnarum cum dimidia; pars subtilissima, filiformis capiti contigua longitudinis vix non dimidiae ulnae fuit, subsequentes articuli sensim sensimque magis evoluti fere ulnam superabant; reliquum corpus articulis sat largis compositum constabat decem ulnis. Ex aqua ab elutione intestinorum residua extraximus notabilem copiam foetuum instar capilli subtilium, qui sub microscopio clare comparebant.

An mors hujus foeminae a Taenia?

Quare tot homines diu, et sine multis incommodis ferunt Taeniam?

Ad 1*mum*. Taeniam in hac foemina primariam mortis causam fuisse nullus dubito; delicatula enim et parce se nutriens a tantae molis verme, quem per plures annos nutrivit, subtilissimo succo nutritio fuit spoliata, unde ad secundas vias tantum pars spissior fuit delata; quae non solum non accomoda corporis nutritioni, sed ob suum lentorem potius apta fuit ad infarciendas et obstruendas glandulas, prouti in glandulis pulmonum, in glandulis Payerianis intestinorum etc. apparuit; ipsa cisterna lumbaris contracta, et ductus thoracicus solito plus angustatus detegebantur, ob defectum chyli, qui per has vias ferri debuisset; unde necessario marasmus.

Ad 2*dum*. Felicius et diutius interdum ferunt Taeniam helluones systemate nervoso non adeo sensibili praediti, qui succulentos cibos copiose vorando magnam quantitatem chyli parant, et sic sibi, et suo hospiti bene consulunt.

CASUS XIII.

Puer novem annorum a sex circiter septimanis saepius cardialgia, doloribus colicis, et alvo tenesmoidea vexabatur: ab aliquot diebus excrevit articulos Taeniae.

Nona Augusti susceptus ad scholam clinicam exhibuit faciem terream, pupillas dilatatas, frequens salivae efluvium, linquam muco obductam; conquerebatur praeterea de dolore in cardia: pulsus fuit naturalis, appetitus bonus, hypochondria plena. Injectum ipsi fuit enema emolliens, et interne exhibita sequens mixtura.

℞. Aquae communis unc. iv.
Salis mirab. Glaub. drach. jjj.
Syrup. Rub. idaei unc. j.

M. d. s. sumat aeger omni bihorio cochlearia duo: pro potu ordinario, cum decocta nausearet, hausit aquam.

Decima, *undecima*, *duodecima* et *decima tertia* eadem remedia fuerunt continuata: aeger interea cum sat magna copia muci et scybalorum aliquot articulos Taeniae alvo excrevit: accessit pruritus narium, tumor ventriculi, et urina fuit alba instar tenuis emulsi.

Decima quarta. Hora quinta matutina partitis dosibus sumpsit pulveris cornu cervi philosophice praeparati in aqua diluti drachmas tres (quod remedium a multis veterum medicorum specifice contra Taeniam laudatur); post horam unciam semis

hujus remedii, cum sufficienti quantitate aquae tepidae per anum injici curavi: *hora septima matutina* exhibitum fuit sequens purgans.

℞. Pulv. rad. Jalapp. sacharo optime
tritae gran. xxiv.
Mercur. dulc. gr. vj.
Roob sambuc. q. s.
Misce, fiat bolus pro dosi.

Hora vix elapsa quum puer cum copiosa alvo et plurimis articulis frustum Taeniae, longitudinem duarum ulnarum superans, sine capite excrevisset; exhibita mox fuit uncia una salis seydschizensis in unciis sex potus theati soluta. Praeter lenes anxietates aeger nullum incommodum sensit, et post prandium, cum aliquoties alvum deposuisset, multi semper cum eadem Taeniae articuli fuerunt commisti.

A die decima quinta ad *vigesimam usque* praeter mixturam salinam superius notatam aeger nihil sumpsit, et fere omni die cum alvo articulos Taeniae excrevit.

Vigesima prima, hora quinta matutina sumpsit:

℞. Pulv. rad. filic. mar. drach. jj.
Aquae commun. destill. unc. iv.
Misce, fiat haustus.

Hora septima exhibitus fuit sequens bolus,

℞. Scammonei
Mercurii dulcis aa. gran. vjjj.
Gummi guttae gran. vj.
Roob sambuc. quant. sat.
Misce, detur pro dosi.

Circa nonam matutinam accessit vomitus, et leve animi deliquium: sub nixu vomendi per alvum secessit Taenia integra longitudinis sex ulnarum: ab eo tempore puer optime se habuit.

CASUS XIV.

Puella viginti trium annorum, fortis, torosa, officiis culinaribus fungens superatis feliciter morbis infantiae a duodecimo aetatis anno frequenter constrictione pectoris, palpitatione cordis, doloribus colicis, et vomitu fuit vexata: eo tempore prima vice in excrementis observavit articulos Taeniae. A decimo septimo aetatis anno regularibus gaudebat menstruis: spatio abhinc quinque mensium tam atrocibus doloribus abdominis interpolatis vicibus fuit correpta, ut tandem per integras quatuor septimanas lectum deserere non potuerit.

Decima quinta Aprilis eadem symptomata recruduerunt cum sensu dolorificae constrictionis cordis, orthopnoea, vomitu etc., simul aliquot articuli Taeniae sponte per alvum secesserunt. Eodem die ad scholam clinicam fuit suscepta.

Cum nec D. D. Herrenschwand, nec Domina Nuffer curam praeviam ante usum suorum remediorum, olim arcanorum, commendent; statim praemisso ad vesperas enemate emmollienti *Decima sexta* Nufferianam curam elegi; pulvis rad. filic. maris exhibitus fuit *media sexta matutina*, et bolus *media octava*. *Ad horam primam pomeridianam* usque nulla subsecuta est alvus; unde binae unciae salis amari in unciis sex aquae fuerunt solutae, et aegrae pro tribus haustibus spatio unius horae exhibitae, quos repetitae excretiones alvinae sine articulo vermis sequebantur. *Hora septima vespertina* denuo sumpsit solutionem duarum unciarum salis amari, et *hora octava* injectum fuit enema emmolliens, adjecta uncia semis salis communis, ex quo quater deposuit alvum aquosam, de verme nihil: circa undecimam nocturnam cum aegra jam a tribus fere horis nullum amplius nisum ad alvum deponendam sensisset, exhibitus fuit sequens haustus:

℞. Aquae communis unc. iv.

Pulv. rad. filic. mar.
— — jalapp. aa. dr. j.
Syrup. rosar. solutiv. unc. j.
Misce, sumat aegra pro duabus vicibus.

Decies inde fuit purgata, alvus fuit aquosa, paucis articulis Taeniae mista. Spe mea delusus reliqui aegram per plures dies sine omni medicamento, et diaeta convenienti, auraque liberiori vires erigere studui; illa interea bene se habuit, rite omni die alvum deposuit, interdum cum aliquot articulis Taeniae vivis.

Vigesima octava exhibita fuit sequens mixtura

℞. Aquae communis unc. vjj.
Arcan. duplicat. unc. semis.
Syrup. Rubi idaei unc. j.
Mis. d. sig. sumat omni bihorio cochlearia duo.

Ut vermem ex suo nido elicerem, diaetam ordinavi valde strictam; ter autem de die enema ex unciis sex lactis tepidi injici curavi. Per quinque dies continuavi hanc curam, et aegra omni die aliquoties alvum deposuit mucosam sine ullo articulo vermis.

Secunda Maji hora quinta matutina jux-

ta methodum Nufferianam sumpsit solitam dosim pulveris radicis filicis maris, et post bihorium bolum: subsecutae sunt aliquot excretiones alvinae inanes, et aegra semper conquesta est de pondere in ventriculo. Post horam secundam pomeridianam revomuit pulverem rad. filic. maris ingenti quantitate glutinis involutum; unde hora tertia de novo exhibui drachmas duas mox dicti pulveris pro dosi. Nulla inde mutatio; respuit cibos ob saporem fatuum, glutinosum, quem in ore sentiebat; hora septima vespertina sumpsit sequentem bolum.

℞. Pulv. rad. Jalapp. saccharo bene tritae scrup. jj.
Mercurii dulc. gran. vjjj.
Arcan. dupl. drach. jß.
Roob sambuci quant. sat.
Misce, fiat bolus, qui in minores portiones divisus statim aegrae exhibeatur.

Hora octava aegra totam hanc dosim vomitu rejecit: exhibui salis amari in sufficienti quantitate infusi flor. verbasci soluti uncias duas, post horam autem enema emolliens cum drachmis sex salis communis injici curavi: Evacuationes alvinae exinde

quidem frequentes, sed nec unicus Taeniae articulus comparuit.

Hora undecima noctis cum aegra et animo et viribus adhuc polleret, et ego pertinacem hunc hostem ex suis latebris expulsum videre summopere desiderassem, ordinavi sequens remedium spatio unius horae pro duabus vicibus sumendum.

℞. Elect. Lenitiv. unc. jj.
Arcan. dup. drach. vj.
Mercur. dulcis gran. vjjj.
Aquae commun. destill. unc. vj.
Misce.

Sed omnia incassum; summa cum pertinacia in globum jam convolutus vermis omnes meos impetus elusit. Hinc receptui canere coactus tamdiu arma suspendi, donec recuperatis aegrae viribus de novo ipsum aggredi potui.

Sexta Maji. Praemisso die antecedenti ad vesperas enemate emmollienti hora quinta matutina exhibui pulv. rad. filicis maris drachmas tres; post bihorium injectum fuit enema ex unciis sex olei lini: post dimidiam horam de sequenti remedio exhibita fuerunt cochlearia quatuor

℞. Ol. amygdal. recentiss. press. Lib. j.
— anisii gutt. xxx.
Misce.

Continuata fuit haec medicina ita, ut aegra omni hora quatuor cochlearia assumpserit, modo cum, modo sine jusculo pro ipsius arbitrio, et omni bihorio injectum fuit enema ex unciis sex olei lini: circa meridiem, cum primam portionem olei amygdalini jam absumpsisset, unciae sex olei amygdalini cum guttis quindecim olei anisi de novo fuerunt ordinatae: hora decima nocturna sumpsit uncias duas salis amari in aqua solutas: media undecima injectum fuit enema oleosum. Hora duodecima noctis exhibitus fuit bolus Nufferianus in aqua dilutus: hora prima per epicrasim bibit integram libram aquae seidschyzensis, et post dimidiam horam applicitum fuit enema salinum: incepit tunc obdormiscere. Ante quintam matutinam sellam perforatam petiit; sensit nisus inanes; sellae perforatae adhuc insidens sumpsit unciam unam salis amari in infuso florum verbasci solutam. Haud diu post oborti sunt borborygmi, tormina in abdomine, et tandem secessit Taenia longitudinis viginti trium ulnarum et quatuor pollicum, quae cum capite uncinato hora octava in col-

legio clinico publice omnibus auditoribus fuit monstrata. Elapsis octo diebus, cum haec foemina optime se haberet, scholam clinicam deseruit, eandem vero praestiti beneficii memor saepius postea visitavit sana et robusta.

Tantae molis erat expellere vermem in suo nido jam convolutum: multas sacrificavi horas, ut sollicite aegrae vires et occurrentia symptomata observarem: felix eventus taedia laboris satis superque compensavit.

CASUS XV.

Mulier triginta quatuor annorum, laxi et obesi corporis habitus, ab infantia cibis pinguibus, farinaceis et lacticiniis inhians, vigesimo aetatis anno per duos menses tussi convulsiva fuit vexata praesente simul tensione abdominis. Quaecumque exhibita fuerunt remedia malum reddiderunt gravius; sola eccoprotica et enemata, quae magnam semper muci et scybalorum copiam evacuarunt, morbum mitigarunt, ita, ut tussis tandem ex integro cessaverit. Vigesimo sexto aetatis anno, cum diaetam non mutasset, denuo in eandem tussim sed multo pertinaciorem incidit, quae iterum solo evacuantium usu fuit debellata. Interea nupta marito, dua-

rum prolium mater, et a consueto vivendi genere non declinans circa trigesimum secundum aetatis annum saepissime spasmis, palpitationibus cordis, lipothymiis, et tam atrocibus doloribus colicis fuit correpta, ut interdum inter continuos ejulatus et clamores se prono corpore in pavimentum projecerit: dolore autem vix mitigato tanta in omne ciborum genus cupiditate rapiebatur, ut saepenumero cibos pro tribus et quatuor personis in mensa paratos avidissime devorasset sola, post pastum adhuc esuriens. Per integrum biennium hisce vexata incommodis saepius alvo deposuit articulos Taeniae: multa a variis ordinata fuerunt remedia, et interdum unam alteramve ulnam vermis excrevit: sex unciae olei ricini per epicrasim sumptae quinque ulnas uno filo cohaerentes evacuarunt; symptomata tunc apparebant mitiora, sed post, aliquot septimanas majori cum vehementia recruduerunt.

Secunda Junii prima vice vocatus vidi mulierem sat pinguem, sed cachectici corporis habitus. Cum ex anamnesi intellexerim, ipsam optimo plerumque gaudere appetitu, nec in selectu ciborum scrupulosam fuisse, cum praeterea hypochondria multum infarcta invenerim, ordinavi sequentem mixturam

℞. Aquae

℞. Aquae commun. unc. x.
Arcan. duplicat. unc. semis.
Syrup. foenicul. unc. j.
M. sumat omni bihorio ½ vasculum.

Diaetam suasi convenientem, et, ut alvus magis lubrica servetur, omni die enema emolliens injici curavi. Hac methodo incredibilis copia muci et scybalorum induratorum cum multis Taeniae articulis fere omni die fuit eliminata. Ad sopiendos dolores colicos, quibus saepius vexabatur, praeter repetita enemata emollientia interne sequens mixtura cochleatim fuit exhibita.

℞. Gummi asae foetid. mucilag. gg. arab. subact. drach. j.
Solve in unc. vj. aquae commun. destill.
adde
Syrup. flor. chamomill. unc. j.
Misce, detur cochleatim.

Sat cito inde turbae in abdomine obortae compescebantur, neque enormis illa voracitas silente colica accessit; sub usu autem hujus mixturae nec unicum unquam Taeniae articulum excretum vidi: continuavi ita per quatuordecim dies, ubi copiam muci et scy-

balorum in matula jam multum imminutam observavi.

Decima sexta Junii, praemisso die antecedenti ad vesperas enemate emollienti hora quinta matutina sumpsit

℞. Pulv. rad. filic. mar. drach. jjj.
Aquae commun. unc. vj.
Misce, fiat haustus pro dosi.

Hora sexta injectum fuit enema ex unciis octo aquae tepidae cum uncia semis pulv. rad. filicis mar.

Hora septima exhibitus fuit bolus Nufferianus.

℞. Scammonei
Mercur. dulc. aa. gran. xjj.
Gummi guttae gran. x.
Roob sambuc. quant. satis
Misce, fiat bolus.

Circa decimam aegra jam octies alvum deposuit valde mucosam.

Hora undecima me praesente sensit enormem spasmum in abdomine; accessit Lipothymia, et paulo post nisus ad alvum deponendam; post praevios multos flatus excrevit sat notabilem portionem vermis, quem

aegra ex ano pendulum sentiens fortiori nisu extrudere conabatur; sed inopinato clamavit se sensum habere, ac si vermis rursus se in anum reciperet. Curiositate ductus rem examinavi, et mirari satis non potui celeritatem, qua hic heluo sursum in suam latebram refugere conatus est. Sine mora aegrae exhibitae fuerunt unciae tres salis amari in libra una infusi florum verbasci solutae, quae jam in promptu erant: post dimidiam horam subsecutae sunt anxietates, frequentia animi deliquia et meteorismus; unde aegra sellae perforatae adhuc insidens a duabus personis suffulta saepius odore aceti refici debuit Accessit tandem vomitus, multi eruperunt flatus per posteriora, et tandem secuta est Taenia integra inter omnes, quas vidi, optime saginata longitudinis viginti octo ulnarum et quinque pollicum. Dum aqua, in qua vermis repetita affusione fuit depuratus, per filtrum trajiciebatur, incredibilis quantitas foetuum longitudinis unius, duarum et plurium etiam linearum oculo armato in filtro fuerunt detecti; unus jam magis adultus longitudine pollicem superabat.

Per septem menses, absoluta hac cura, optime se habuit haec foemina; tandem sine praeviis incommodis iterum observavit unum alterumve articulum Taeniae in matula; sine

H 2

alterius consilio ipsa sponte sua elegit priora medicamenta, et feliciter excrevit integram Taeniam octo ulnarum, quam ego ad ipsam tunc vocatus attente examinavi. Ut rudimenta hujus vermis successive destruerentur, et ex corpore eliminarentur, ordinavi, ut aegra convenienti diaeta uteretur, et omni mense sumeret sequentem bolum.

℞. Pulv. rad. filic. maris recent. parat. scrup. jj.
Mercur. dulc.
Gummi guttae aa. gr. vjjj.
Syrup. Rosar. solutivi quant. satis.
Misce, fiat bolus, detur pro dosi.

Sancte secuta est meum consilium per sex menses, et ab assumpto hoc remedio magnam semper muci copiam alvo excrevit: nunc a sex annis vivit sana, neque ullum amplius Taeniae vestigium observavit.

CASUS XVI.

Incola suburbii Wieden duxit ad me puellam quinque annorum, quae ab anno et ultra multis a latitante Taenia incommodis fuit vexata. Plurima a variis contra hunc

vermem exhibita fuerunt remedia, sed praeter expulsionem aliquot articulorum nihil effecerunt: interea puella febricula lenta contabescebat, et ob tormina abdominis saepius redeuntia noctes agebàt insomnes. Praescripsi huic puellae sequentem pulverem:

℞. Pulv. corallinae dr. jj.
— Rhei
— Sacchar. alb. aa. dr. j.

Misce, fiat pulvis; exhibeantur aegrae ter de die duo parva cochlearia aqua diluta.

Jam primo et secundo die plures articuli fuerunt excreti, tertio die frustum dimidiae ulnae; quarto die aucta fuerunt tormina, dum secundam dosim assumpsisset, appetitus fuit deletus, accessit vomituritio, circa vesperas meteorismus. His non obstantibus tertiam dosim debuit sumere, et injectum fuit enema emolliens, quod statim iterum refluxit. Vix dimidia hora elapsa sensit puella nixum ad alvum deponendam, et post praevios multos flatus excrevit Taeniam integram duarum ulnarum cum dimidia: ab illo tempore cessarunt tormina, febricula sensim evanuit, rediit appetitus, brevipost pristinus corporis vigor, et modo puella optima fruitur sanitate. Curiositate ductus sua-

si parentibus, ut post tres menses puellae etiam bene se habenti idem remedium cum eadem, ut supra, attentione exhiberent; terve quaterve de die inde deposuit alvum sine ullo Taeniae vestigio.

CASUS XVII.

Matrona nobilis, triginta sex annorum, gracilis corporis habitus, sex prolium mater, a triennio jam ter haemoptoica, multis animi paethematibus vexata ante annum incidit in validissimam febrim pituitoso-biliosam cum dolore acuto in latere sinistro. Gravi hoc morbo remediis indicatis praecipue eccoproticis debellato per decem menses bene se habuit; integro gaudebat appetitu ita, ut praeteritorum immemor (quod plerumque fit) gustui debito plus indulgens largiori copia farinacea, lacticinia, carnes porcinas etc. assumpserit; a duobus mensibus conqueritur de tensione abdominis, de frequentibus ructibus, et appetitu modo deleto, paulo post enormiter aucto: exhibito eccoprotico se valde levatam sensit, sed successive eadem symptomata recruduerunt. Accessit tussis valida, inanis, frequens salivae affluxus in os, palpitationes cordis cum dolore in hypogastrio ad attactum auc-

to: eccoprotica, enemata, et inunctiones emollientes aegrae iterum summum levamen conciliarunt. Hac cura per aliquot dies continuata prima vice in matula observavi praeter magnam copiam muci aliquot articulos Taeniae; postea tam de die quam de nocte notabilis quantitas articulorum sponte per anum erupit. Ut gracile corpus a praemissis incidentibus remediis jam debilitatum erigerem, per quatuordecim dies exhibui decoctum corticis peruviani; et cum ab usu hujus remedii respectu ad vires aegrae optimum effectum observaverim, sine mora Taeniam aggressus sum. Praemisso itaque ad vesperas enemate emollienti summo mane dedi pulveris radicis filicis maris recentissime parati drachmas duas aqua dilutas pro dosi: bihorio post assumptum hunc pulverem sequens bolus fuit exhibitus.

℞. Gummi guttae gran. x.
Mercurii dulc. gran. vjjj.
Sapon. venet. quant. satis
Misce exactissime, ut fiat bolus.

Hora ab assumpto hoc bolo elapsa aegrae bina cochlearia olei ricini cum pauxillo jusculi fuerunt exhibita, quod omni hora fuit repetitum. Circa secundam pome-

ridianam, licet aegra jam antea saepius alvum deposuisset, magna anxietate correpta in animi deliquium incidit eodem momento, quo sellae perforatae insidebat; aceto refecta dixit, se post insolitam sensationem in abdomine ingens pondus per anum excrevisse. Circa quartam pomeridianam iterum vidi aegram, et eandem inveni sat hilarem et prandium appetentem: examinavi illa, quae per alvum excreta fuerunt, et detexi Taeniam integram quindecim ulnarum optime nutritam; in excrementis autem aqua tepida dilutis, et per chartam emporeticam filtratis magnam copiam foetuum observavi duarum, trium et plurium linearum, qui sine oculo armato facile in conspectum veniebant. Cum hanc curandi methodum in persona adeo exhausta tam feliciter cessisse viderim, jam minus timidus de drastica vi gummi guttae, aegris loco unius boli ordinavi tales numero tres ita, ut si ab assumpto primo bolo vermis loco non cesserit, post quatuor horas secundus, et tandem perstantibus aegri viribus eodem temporis intervallo etiam tertius (si priores spem fefellerunt) exhiberetur; hoc autem addere debeo, me ubi ab hoc remedio dolores in abdomine orti sunt: ex usu olei amygdalini aut olivarum (dummodo blanda fuerunt) meliorem

effectum observasse, quam ab oleo ricini americani, quod plerumque, quia cari pretii est, diu in pharmacopoleis asservatur, rancescit, et primas vias valde destruit. Nollem autem, ut quis credat, hac medendi methodo etiam omnes foetus in plicis intestinorum hinc inde hospitantes simul secure expelli: haec ipsa enim matrona, cujus felix curae contra Taeniam successus me ad repetenda plura experimenta impulit, vix elapsis tribus mensibus de novo incepit conqueri de tensione abdominis, anxietatibus et tussicula cum frequenti in cavo oris salivae collectione; vix non omnes cibos aversabatur excepto potu Coffè: tandem omni die sponte articulos Taeniae sat alacres alvo excrevit. Elegi eandem curam, quam superius descripsi; mixtura salina magnam muci tenacis copiam ejecit; die septimo ab incepto usu mixturae summo mane exhibitus fuit pulvis rad. filicis maris, post bihorium bolus, et dein omni hora cochlearia duo olei ricini, in quo aegra fidem ponebat. Sic spatio quinque horarum cum dimidia sine praegressis multis incommodis iterum expulsa fuit Taenia integra septem ulnarum longitudinis bene pasta, quae in aqua tepida, cui pauxillum lactis fuit additum, per tres horas vixit. Sequenti die, cum aegra ipsa

summopere esset sollicita, ut foetus simul eliminarentur, et omnem spem in oleo riccini poneret, concessi, ut jejuno ventriculo sumat unciam unam; quod continuatum fuit per septem dies: inde omni die deposuit alvum notabili copia mucosam, scybalosam semper cum euphoria. Die octava bihorio post assumptum oleum de novo sumpsit bolum; octies inde fuit sat fortiter purgata, in excrementis autem nec articulum vermis, nec vestigium foetus detegere potui. Ad roborandum corpus postea usa est per quatuordecim dies decocto corticis peruviani, dein cum valde macilenta esset, uti ex anamnesi patet, usa est per viginti dies aquis selteranis cum quarta portione lactis; unde optime se habuit.

Elapsis vix quinque septimanis novus ex prima forte matre adhuc residuus emersit inimicus; haec Domina enim de novo incepit conqueri de tussi sicca, de anxietatibus circa praecordia, de palpitatione cordis, et post aliquot dies detexit in matula, quam semper sollicite examinavit, frustula Taeniae; brevi post plures tales articulos vivos et alacres sponte ex ano prodire sensit. Optimus maritus de uxoris tamdiu languentis salute summopere sollicitus Berolino curavit adferri Viennam remedium arcanum

Domini consiliarii Mathieu *a*) quod mea sub directione aegrae omni cum possibili attentione fuit exhibitum.

a) *Vide caput III.*

Undecima Mensis Martii 1800. Diaetam a Domino consiliario praescriptam stricte observare incepit.

Decima quinta sumpsit secundum ipsius ordinationem *opiatum A.* unde hac die septies fuit purgata, alvus fuit mucosa, scybalosa sine articulo Taeniae; in fundo matulae autem detexi notabilem quantitatem stanni granulati; sputatio hac die fuit valde copiosa.

Decima sexta idem remedium fuit continuatum, quater inde alvum deposuit ejusdem uti die antecedenti indolis, de verme nihil; sputatio frequens.

Decima septima usus *opiati A.* cum praescripta diaeta quater moverunt alvum magis liquidam, sed sine vestigio Taeniae; notabilis iterum stanni granulati portio in matulae fundo comparuit.

Decima octava. Hora sexta matutina sumpsit aegra primum cochleare parvum *opiati B.*, quod omni bihorio juxta praescriptionem diligentissime fuit exhibitum. Circa meridiem ter alvum deposuit solutam sine articulo

vermis; accesserunt dolores abdominis, anxietates, tandem frequentia animi deliquia: inter has turbas iterum ter fuit alvus mota, de Taenia nihil comparuit. Hora quarta pomeridiana, cum tota dosis *opiati B.* absumpta jam fuit, sumpsit olei ricini americani omni hora cochlearia duo; circa septimam vespertinam enema ex lacte et melle fuit injectum.

Decima nona post noctem placido somno transactam exhibui aegrae hora nona matutina bolum ex gummi guttae uti supra; post horam sumpsit duo cochlearia olei ricini; bis alvum deposuit sine ullo vermis articulo. Usus olei ricini omni bihorio rite fuit continuatus (excepto tempore prandii, quod parcissimum fuit) interea aegra bis alvum deposuit sine vermis vestigio. Circa quartam pomeridianam idem bolus fuit exhibitus, usus olei ricini praeterea ad duo cochlearia omni bihorio fuit continuatus; semel inde alvum deposuit mucosam. Post septimam vespertinam assumpsit tertium bolum; ad decimam nocturnam usque nec semel inde fuit mota alvus; borborygmi, anxietates, et pondus in epigastrio ad unum alterumve hypochondrium se extendens injecto enemate ex infuso florum chamomillae, melle, et oleo lini parato cessarunt.

Vigesima, hora secunda matutina alvum deposuit solutam, mucosam, cum notabili portione stanni granulati, sine articulo Taeniae: brevi post obdormivit. Circa sextam evigilans denuo alvum ejusdem indolis excrevit, abdomen non fuit inflatum, sed ad attactum valde sensibile. Cum aegra ab aspera diaeta, quam per octiduum stricte observavit, et ab ipso usu purgantium debiliorem se sensit; hac die rejecta diaeta priori eam cibis eupeptis moderate exhibitis reficere volui; noctem bene transegit.

Vigesima prima summo mane evigilans conquesta est de sapore depravato, amaro, de anxietate et tensione hypochondriorum; linguam inveni muco flavo obductam, et abdomen expansum. Supposui, quod forte genio plus indulserit, et licet lubentissime ab usu omnium remediorum purgantium abstinuissem, ob urgentia symptomata tamen coactus fui exhibere sequens remedium.

℞. Potion. laxat. pharmacop. vien. unc. iv.
Tinct. Rhei aquos. unc. iß.
Liq. anod. miner. Hoff. gutt. x.
Oeleosacch. foenicul. drach. j.

Misce, sumat aegra omni bihorio dimidium vasculum.

Jam ab assumpta prima dosi flatus in enormi copia per inferiora penetrarunt; continuato usu quater deposuit alvum aquosam sine articulo vermis, flatus vero continuo eruperunt; unde abdomen brevi concidit, et anxietates evanuerunt. Relictis dein omnibus aliis remediis ad roborandas primas vias exhibui decoctum ex ligno quassiae et trifolio fibrino paratum ter de die ad uncias tres. Effectus respondit votis; appetitus incepit vigere ita, ut aegra insuper habitis omnibus monitis diaetam tam in quantitate, quam in qualitate ciborum neglexerit. Interea (quod miratus fui) omni die cum excrementis plures articuli vermis mortui sponte secesserunt, non nulli fuerunt penitus rigidi, colore flavescente a gummi guttae obducti; de stanno granulato nihil amplius in matula comparuit.

Vigesima octava a continuata ciborum ingurgitatione de novo obortae sunt anxietates, et nausea, lingua fuit obsessa, hypochondria infarcta, ad attactum dura: praemissis aliquot enematibus solventibus ordinavi aegrae, ut ter de die de electuario lenitivo duo parva cochlearia sumat, quo per quinque dies continuato, alvus omni die ter etiam quater fuit mota, sed sine articulo vermis. Cum omnia ad statum na-

turalem rediissent; aegra autem valde emaciata esset, ordinavi

℞. Cort. peruvian. elect. ruditer tus. unc. j.
coque in s. q. aquae fontanae per ½ horam; colaturae lib. j. adde
Sacchari albi quant. satis ad gratiam.
Misce, sumat aegra ter die vasculum cum quarta portione lactis tepidi.

Continuavit usum hujus remedii per integrum mensem, unde et vires et totus corporis habitus contra omnium exspectationem de die in diem increverunt, et tertius modo agitur annus, ex quo ab omnibus symptomatibus Taeniae penitus immunis vivit.

CASUS XVIII.

Puella viginti quatuor annorum, optimi corporis habitus, semper sana, ab aliquot mensibus per intervalla sensit dolorem in hypochondrio dextro ita, ut nec attactum, nec pondus vestimentorum ferre potuerit. Ab eo tempore incepit quoque languere appetitus, quo antea semper gaudebat; alvus ipsi respondebat omni die; catamenia sin-

gulis mensibus rite fluebant; abdomen autem sensim cum aliqua duritie intumuit, quod symptoma diutius adhuc neglexisset, nisi post sensum alicujus pruritus ab alvo mox deposita matulam inspexisset, et ibi plures cucurbitinos vivos, alacres, et in altum saltantes observasset. Inexspectato hoc spectaculo summe terrefacta sine mora multas inter lacrymas meum imploravit auxilium; quod contigit 3*tia* *Septembris* 1800. Incepi curam usu mixturae salinae, quam per sex dies continuavit; ter, quater inde deposuit alvum mucosam, scybalosam, pluribus Taeniae articulis mistam.

Die septima cum alvus jam minus scybalosa, et mucosa comparuisset, ordinavi sequentes pillulas.

℞. Mercurii sublimat. corros. grana x.
Solve in suff. quant. aquae commun. destill. adde
Extract. rad. Valerian. sylvest.
— Saponariae aa drach. v.

Misce exactissime in mortario vitreo, ut fiat pasta, ex qua formentur pillulae *Nro. centum* ponderis exactissime aequalis, conspergantur pulv. semin. foeniculi, dentur ad scatulam sig. sumat aegra omni die suc-

ces-

cessive *decem*, superbibendo vasculum decocti radicis altheae.

Ex usu harum pillularum, de quibus sumpsit aegra hora ante jentaculum tres, totidem hora ante prandium, et quatuor ad vesperas, nullum omnino sensit incommodum; bis, terve deposuit alvum plerumque pultaceam, interdum cum aliquot articulis Taeniae: tota pillularum dosi spatio decem dierum assumpta

Die undecima hora quinta matutina aegrae exhibitus fuit sequens bolus.

℞. GG. guttae gr. x.
Mercurii dulcis gr. vjjj.
Sapon. venet. ras. gr. vj.

Misce, fiat bolus; exhibeatur in duplo, ut si primus speratum effectum non praestaret, intervallo sex horarum secundus porrigatur.

Circa mediam decimam antemeridianam visitavi aegram, et eandem hilarem inveni; dixit se jam septies alvum sine ulla molestia deposuisse semper aquosam excepta ultima vice, quod ante aliquot minuta accidit, ubi praeter aquosa globosi aliquid se excrevisse suspicabatur. Examinavi sine mora matulam, et Taeniam cum multis frustulis a se invicem separatis illico detexi, quae a

sordibus purgata integra comparuit, longitudinis duodecim ulnarum, et in aqua tepida ultra horam sat agilis vixit. Innatabat quoque huic aquae foetus longitudinis fere pollicis, quem cum expertissimo D. D. Thries meo antea in schola clinica assistente attentissime examinavi.

Puella optime valet; ne autem mucus accumuletur, leni interdum utitur eccoprotico. Mercurium sublimatum corrosivum ex eo fine exhibui, ut mucum eo potentius solverem, et vermem ipsum occiderem; effectus autem docuit, quantum spe mea fuerim delusus, cum vermis post usum hujus remedii per decem dies continuatum exhibito tandem gummi guttae vivus et alacer fuit expulsus.

Undecima Novembris ejusdem anni rediit ad me haec puella, et conquesta est, quod ab octo circiter diebus de novo in matula cucurbitinos observet, sed sine omni incommodo. Praescripsi mixturam salinam, quam per sex dies continuavit, et magnam quotidie scybalorum, et muci copiam cum multis articulis alvo excrevit; unde non sine fundamento suspicatus sum, quod, puella expulsa prima Taenia remedia eccoprotica a me ordinata neglexerit, quod tandem etiam confessa est.

Die septima praescripsi electuarium sequens

℞. Electuarii lenitivi Pharmacop. Vienn. unc. jj.
Pulv. rad. filicis mar. recent. parat. dr. jjj.
Stanni anglicani granulat. unc. jß.
Syrup. foenicul. quantum satis
fiat electuarium molle, sumat aegra quater de die duo parva cochlearia.

Sub usu hujus electuarii omni die non tantum multos articulos, sed interdum etiam integra frusta Taeniae longitudinis dimidiae ulnae et ultra alvo deposuit; tota dosi electuarii absumpta sequenti die summo mane exhibui bolum Nufferianum. Vix tribus horis elapsis obortae sunt turbae in abdomine, quod valde fuit expansum; accesserunt animi deliquia et spasmi, mox nisus ad alvum deponendam, et inter continua flatuum tonitrua enixa est vermem integrum duodecim ulnarum cum magna quantitate foetuum, quorum multi longitudine unam duasve lineas superabant. Recuperatis viribus ipsi suasi, ut ad eluendas hasce reliquias omni septimana unam alteramve libram aquae seidschyzensis tempore praecipue matutino suc-

cessive bibat; quod consilium modo cautior reddita per unum alterumve mensem attente secuta est. Tertius modo agitur annus, ex quo ab omnibus Taeniae incommodis immunis vivit, sana et robusta.

Plures casus in medium proferre supervacaneum esse duco: unum vero alterumve silentio praeterire nolo, ubi Taenia contra omnem exspectationem in lucem prodiit, et feliciter fuit exstirpata.

Dum adhuc medici campestris munere fungebar, militi gregario de anorexia conquerenti praescripsi pulveris rad. jalapp. Scrup. jj. cremor. tartar. sacchari albi aa scrupul. j. Mista terantur diu in mortario vitreo, et exhibeantur pro dosi; unde sexies sat fortiter fuit purgatus. Interea corripiebatur siti validissima cum enormi desiderio in aquam frigidam, quam ad sex et ultra libras hausit: circa meridiem conqueritur de atroci dolore abdominis; excretiones alvinae cessant, accedit meteorismus. Cum sitis perseverasset, denuo ingurgitat aquam frigidam; dolores abdominis continuo crescunt. Cum hic homo non in nosocomio, sed in tugurio cum suis commilitonibus habitaret, accersitus D. Chirurgus Nushard ipsi enema emolliens injecit; post horae quadrantem cum multis flatibus excrevit Taeniam integram

triginta duarum ulnarum et aliquot pollicum, quam ego cum D. Chirurgo attente examinavi. Huic haud absimilis casus est ille, de quo supra jam mentionem feci; mulier militaris triginta circiter annorum, quae jam ab aliquot septimanis omni carebat appetitu, et abdomen solito plus tensum sentiebat sine signis graviditatis. Cum omnia signa latitantem in primis viis saburram annunciassent, ordinavi etiam huic pulverem radicis jalappae cum cremore tartari, quem mane jejuno ventriculo sumpsit, et aliquoties inde purgata fuit. Circa meridiem post validam expansionem abdominis sensit denuo nixum ad alvum deponendam, et cum multum distaret a latrina communi, jam in media via sensit corpus extra anum pendulum: rem digitis examinans vermem disrupit; suspicata enim est intestina sibi prolabi. Ex terrore collapsa inter multos clamores et ejulatus succursum aliarum muliercularum sollicitavit, quae, dum enormis longitudinis frustum vermis (erant enim quadraginta quinque ulnae) per pavimentum extensum observassent, summe perterritae aegram ad proximum cubiculum traxerunt. Cum eodem tempore colonellum in hac vicinia aegrotantem visitassem, summo cum strepitu me ad hanc mulierem vocarunt.

Rem examinans dolui Taeniam fuisse disruptam, et statim exhibui uncias duas salis amari in aqua tepida solutas, ut partem vermis in intestinis residuam expellerem: decies inde et ultra fuit purgata, sed de Taenia nec articulus comparuit. Cum haec mulier bene se postea habuerit, omnem curam neglexit, nec ego ipsam amplius vidi. Aliquot ulnas in tractu intestinorum remansisse exinde concludo, quia primus a disrupto residuo articulus valde latus fuit.

Vir triginta sex annorum, torosus, ab aliquot mensibus sine molestia saepius articulos Taeniae suis excrementis immistos observavit. Cum bene se haberet, rem naturae commisit. Mense Julio post somnum valde inquietum summo mane evigilans fauces sensit aridas, et sitim ingentem. Deficiente aqua fontana arripuit lagenam magnam quatuor libris aquae acidulae seidschyzensis refertam, qua uti solebat ipsius uxor ad infarctus abdominales reserandos. Hujus aquae uno gurgite hausit fere libram; siti continuo magis urgente spatio unius horae etiam reliquas tres libras ingurgitavit. Incepit successive expandi abdomen, orti sunt dolores colici cum multis barborygmis. Circa meridiem vocatus illico enema emolliens cum unciis duabus electuarii lenitivi injici

curavi. Vix elapso horae quadrante multi per posteriora eruperunt flatus, tandem alvus copiosa, soluta multis scybalis mista, et paulo post Taenia integra viginti septem ulnarum. Optime se inde habuit hic vir; nihilominus tamen ipsi consului, ut per aliquot dies omni mane libram hujus aquae biberet; unde quater, quinquies interdum saepius alvum excrevit mucosam, sed nec unicus Taeniae articulus amplius comparuit; et ab eo tempore (sunt enim jam sex anni elapsi) ab hoc hoste immunis vivit.

Puer tredecim annorum a piris immaturis copiose comestis valida colica corripitur; accedunt ructus, nausea et vomitus materiae glutinosae. Cum febris non urgeret, praeter repetita enemata emollientia, potus diluentes tepidi exhibiti fuerunt, abdomen autem fomentis emollientibus fuit involutum. Secundum enema movit incredibilem copiam alvi scybalosae, foetidissimae, varii coloris; injecto post horam tertio enemate in animi deliquium incidit. Refectus aceto sellam perforatam petiit, et post praevios multos flatus excrevit Taeniam integram undecim ulnarum, ab eo tempore optime se habuit.

Puer octo annorum, cujus petulantiam, dum ludimagister virgis corrigere voluit, ad aspectum virgarum tanto fuit perculsus ter-

rore, ut relaxatis simul et semel sphincteribus alvum et urinam ad caligas dimiserit. Mox domum deductus; dum ancillae ipsius vestes mutarunt, detexerunt in caligis duos lumbricos, quibus puer antea laboravit, et Taeniam integram septem ulnarum cum dimidia, quam ego illuc vocatus attente examinavi. Ab eo tempore ab omnibus vermium incommodis liber integra fruitur sanitate. Tantam virgis inesse energiam quis credidisset? Dolendum! quod praesens genius philosophicus hanc curam pueris protervis et audacibus sub directione viri prudentis ab omni tempore adeo salutarem ex Therapia scholastica deleverit; Salomon jam laudat efficaciam hujus remedii dicens *a*): — *Virga, atque correctio tribuit sapientiam.*

a) Lib. proverb. XXIX. — 15.

CAPUT III.

Classes remediorum, quae ad vermes expellendos et enecandos conveniunt, succincte sed practice nos docet *Aetius a)* dicens: *In universum omnia, quae lumbricos educunt aut per aeredinem occidendo, aut per amaritiem subducendo, aut ad excretionem irritando, aut per consequentem ad ea, quae exhibentur, lubricitatem efficacia connoscuntur.*

Cum de illis tantum remediis agere constitui, quae experientia hucusque contra Taeniam efficacia comprobavit; ea, quae mihi nota et simul congrua visa sunt juxta indicationem ab Aetio propositam (additis tamen illis, quae huic authori necdum cognita fuere) breviter hic adducam.

a) *Tetrabibl. Sermon. I. pag.* 431.

I. Remedia, quae per acredinem Taeniam occidunt.

Allium. Anthelmintica allii virtus jam ab antiquissimis medicis summe extollitur: Dioscorides *) laudat hoc remedium tam ad expellendam, quam ad enecandam Taeniam; Plinius, Avicenna, Serapio et plurimi veterum, si contra Taeniam aut alios vermes remedium praecipue purgans exhibuerunt, semper per aliquot dies allium praegustari jusserunt. Contra Taeniam optime agit, si quovis mane jejuno ventriculo unus aut duo bulbuli minutim scissi cum jusculo sumantur; hujus enim usu per sex menses continuato expulsa fuit Taenia sedecim ulnarum cum capite **) non minus felicem effectum observavi in foemina, quae meo consilio per sedecim dies mane jejuno ventriculo, et vesperi bihorio ante parcam coenam unum bulbulum assumpsit, et decimo septimo die mane purgans ex pulv. rad. jalapp. saccharo optime tritae scrup. jj. et mercur. dulc. gr. vjjj. Misce; duabus ab assumpto hoc pulvere horis obortae sunt validae lipothymiae, meteorismus, et injecto mox enemate ex saturato infuso flor. chamomillae cum uncia una electuarii lenitivi eruperunt

multi flatus, et tandem Taenia integra viginti et unius ulnae.

*) *Mater. med. pag.* 389 *et sequent.*
**) *Vet. acad. Hardl.* 1760. *p.* 186.

Bryonia alba. Radix recens est nauseosi saporis, amara, acris, ipsam cutim inflammans; ob drasticam et summe hydragogam indolem vomitum excitat, et valide in intestina agit, hinc vermes omnis generis et ipsam Taeniam inde expulsam fuisse legimus: caute tamen mercandum est cum remedio adeo heroico, praesertim in subjectis delicatis et irritabilibus. Mitior est radix sicca, quae in pulverem redacta ad grana IV — V. aliquoties de die exhiberi potest.

Corallina rubra. Helmintocorton. Remedium minus ingratum quam tot alia anthelmintica, et experientia clariss. practicorum comprobatum *a) b).* Magna subinde copia lumbricos ejicit, minus feliciter tamen in Taeniam et ascarides agit, licet neque hic exempla desiderentur *c)*; exhibetur forma pulveris, electuarii vel decocti; frequens in Gallia est sequentis decocti usus: ℞. Corallinae rubrae unc. semis, coque in aquae fontanae unc. sex ad uncias quatuor, colaturae expressae adde sacchari quantum satis

ad gratiam. Pro dosi porrigitur uncia una: delicatioribus tale decoctum forma clysmatis injicitur. Corallina remediis purgantibus juncta potentius agit *d)*.

a) Schwendimann Dissertat. Helmintocorti historia atque vires. Argentorati 1780.
b) De la Tourrette im Journal de Physic. 1782.
c) Gyser Gazette de santé 1779. *Vide supra cap. II. cas. XVI.*
d) Jadelot Pharmacop. des pauvres, pag. 41.

Dolichos pruriens Lin. Incola est indiae orientalis. Hujus valvulae carinatae magna brevium capillorum copia sunt obsitae, qui facile detergi possunt; ad cutim delatae enormem excitant pruritum et dolorem urentem, qui aqua ad capillos abstergendos tentatus in immensum augetur; frictioni tantum cum oleo aut cineribus siccis successive cedit. Ad grana tria, quatuor cum syrupo mixti hi capilli egregium contra vermes remedium praebent, quod variis exemplis ab amicis communicatis comprobare nititur clariss. *Webster a)*: meo judicio tali remedio jam cuti externae adeo inimico facile carere possumus, cum tutiora prostent.

a) System der praktischen Arzneykunde. Tom. III. p. 361.

Gratiola. Radix et herba sunt amari et nauseosi saporis, ambae largiuntur extractum minus drasticum, quam si exhibentur in substantia forma pulveris aut decocti; quae saepe inter multas anxietates emesim, diuresim, et alvum movent: ob virtutem anthelminticam gratiola multum extollitur a celeberr. Boulduc *a)*: ab Angelo Sala *b)* et multis aliis: provide usus incipitur a minori dosi E. g. Pulv. ad gran. jjj. aut iv. bis terve de die sensim, si aeger ferat, augendo dosim; qui pituita scatent, minus inde affiiciuntur. Ad parandum decoctum sumitur herbae vel radicis drachma una ad summum, pro ratione nempe subjecti, duae coquuntur in libra una et semis aquae ad remanentiam lib. unius, addito syrupo grato sumat aeger in principio bis aut ter de die unciam unam. Contra Taeniam, quae vires optimorum remediorum pertinaciter elusit, suadet illust. Bar. de Störk *c)*, ut aeger mane jejuno ventriculo per quatuor dies sumat pulveris radicis filicis maris drachmam unam, quarto vero die bihorio post assumptum pulverem capiat pulv. rad. gratiolae drachmam semis. Laudat etiam in hunc scopum idem illust. Vir (*Lib. cit. formula* 296.) potum Theatum, qui ex anatica portione Herb. gratiol. Fol. Sennae et rad. liquiriz: mixtis et conscisis

paratur; superaffunditur massae, quantum apicibus trium digitorum capi potest, libra una aquae ebullientis, relinquitur per aliquot momenta in digestione; dein coletur, et sumat aeger per plures dies jejuno ventriculo duo vascula. Quantum ex ore cel. Herrenschwandii rescire licuit, pulvis gratiolae olim fuit ingrediens decantati sui specifici contra Taeniam *d)*.

a) Mém. de l'Acad. roy. des scien. 1705. *p.* 189.
b) Essent. Veget. Sect. V. C. I. p. 158.
c) Medizinisch praktischer Unterricht. Tom. II. pag. 67. *formul.*
d) Muray apparat. medicam. 298. *Tom. IV. p.* 125.

Gummi guttae. Cambogia. Inter remedia, quae hucusque ab observatoribus contra Taeniam laudata fuerunt, gummi guttae certe primis est adnumerandum: Clariss. *Bisset* hoc remedium ut specificum commendat ad grana xv. cum totidem granis extract. gentianae forma pillulari pro dosi sumendum: sed etiam sine admixtione alterius per se jam est activum. Ad grana decem, duodecim saccharo tritum et forma pulveris exhibitum saepius jam Taeniam integram ejecit, repetita post aliquot horas eadem dosi, si hostis primae restitit. *Expertissimus Dominus*

Medicinae Doctor de Prosky Viro reverendo ad expellendam Taeniam exhibuit grana duodecim; cum effectus non responderet, elapsis aliquot horis eandem dosim repetiit; post meridiem alvus frequenter et copiose fuit mota, et ipsa Taenia jam ad plures ulnas extra anum propendebat, incaute autem ab aegro digitis praehensa disrupta fuit: subsecutae sunt subito plures adhuc evacuationes alvinae cum multis Taeniae frustis. Cum itaque metus obortus fuerit, caput remansisse in cavo intestinorum, circa vesperam vocatus cum meo amico D. de Prosky attentissime visitavi omnia per alvum excreta; praeter plures ulnas satis latas invenimus quoque extremitatem latitudine continuo magis declinantem, tandem filiformem; caput autem detegere impossibile fuit. Hinc ut omnis metus tolleretur, statuimus aegrum, qui post hanc curam optime se habebat, aliquot elapsis diebus curae Nufferianae subjiciendum. Saepius inde fuit purgatus, sed nec articulus Taeniae in matula comparuit; et ab illo tempore optimus iste et omnium existimatione dignissimus Vir ab omnibus Taeniae incommodis immunis vivit. Concludere ergo licet, caput jam sua sede fuisse motum, et, disrupta quamvis Taenia, per subito subsequentes evacuationes alvinas cum reliquis frustis fuisse expulsum.

Decantatis nostra aetate contra Taeniam remediis inest Gummi guttae, uti Nufferiano, Clossiano vel Wagleriano et Herrenschwandiano, de quibus paulo infra occurret mentio. Hoc tantum silentio praeterire non possum remedium Herrenschwandianum a clariss. Modelio *a)* nigro calculo fuisse notatum ex eo, quod encheiresi chemica et mercurium et arsenicum cum terra absorbente illi inesse detexerit; an ideo hoc remedium Helvetiis adeo suspectum *b)* ? An ex hac causa contigit, quod matrona Leydensis expulsa licet per remedium Herrenschwandianum Taenia pejoribus symptomatibus fuerit vexata, quam ab ipso verme *c)* ? Sed de his ingredientibus Herrenschwand apud clariss. Schröder et Vogel nullam mentionem fecit: illis, qui arcana vendunt, nunquam habenda est fides, minime medicis, qui in scandalum publicum et in contumeliam salutiferae et nobilissimae artis magis suae crumenae, quam salutis aegrorum studiosi res obvias variis coloribus obducunt, et pro arcanis vendunt. Indigni hi sunt nomine *veri Medici*; hic enim omnia, quae in aegrorum emolumentum congrua esse didicit, et expertus est, amore proximi ductus quasi ex cornu copiae in totum genus humanum effundere omni labore et studio nititur. Varia

dosi,

dosi, et variis cum ingredientibus e. g. Mercurio dulci, radice filicis maris etc. exhibetur gummi guttae habito autem semper respectu ad aetatem, et constitutionem aegri. *Tinctura purgans Rothiana*, quam Cel. Rosenstein *d)* contra Taeniam adeo activam et potentem expertus est, aequae continet gummi guttae: formula sequens est: ℞. Rad. jalapp. unc. iv. Semin. Carthami unc. j. Scammonei optimi unc. semis. Gummi guttae drach. jj. ruditer pulverisatis affunde spirit. vini libram unam et semis, stent in digestione, donec spiritus rubro colore sit tinctus; filtretur super cortices citri vel aurantiorum; residuo de novo affundatur libra semis spiritus vini, et relinquatur in digestione: ab ambabus extractionibus commistis tandem tertia circiter pars spiritus vini iterum abstrahatur. Haec Tinctura a celeberr. Löseke *e) Elixirium purgans Michaelis* vocatur. Suadet autem Rosenstein, ut aeger sub usu hujus remedii post quamlibet evacuationem alvinam aquam frigidam copiose hauriat; dolores colici, siqui inde oriuntur, enematibus emollientibus, oleosis facile sedantur. Egregium hoc est remedium non tantum ad Taeniam in tractu intestinorum nidulantem expellendam, sed etiam ad ejiciendos Taeniae foetus, si eliminata jam Tae-

nia per aliquod tempus, ad minimum bis in mense, ad unciam unam successive exhibeatur.

a) *Muray apparatus medicam. Tom. IV. pag.* 123.

b) *De Haën Rat. med. P. XII. pag.* 213.

c) *Dissertat. phys. med. de vermibus hominum intestinalibus, quam proposuit Gualtherus van Doevern. Lugdun. Batav.* 1753.

d) *Anweisung zur Kenntniſs und Kur der Kinderkrankheiten pag.* 418.

e) *Auserlesene Arzneymittel pag.* 134.

Helleborus niger. In usum cedit radix, quae si genuina et non effaeta est, virtute gaudet drastica, hydragoga; hinc suo stimulo, uberiori copia provocando laticem aquosum ex intestinis Taeniam tunicae villosae intestinorum firmiter agglutinatam separat, et ita fluctuantem vi sua drastica e corpore expellit. Forma pulveris vix amplius exhibetur, potissimum in extracto a granis quatuor, sex, ad decem pro ratione circumstantiarum et virium aegri. A pilulis tonicis Baccheri in hydrope adeo polychrestis multum boni etiam sperare licet contra Taeniam; formula haec est: ℞. Extract. Hellebori nigri vinosi. Extract. myrrhae aquos. ana unciam unam. Pulv. cardui benedicti drach. tres. Misce, fiat lege artis mas-

sa aëre sicco exponenda, donec apta sit ad formandas pilulas, quarum quaelibet sit ponderis grani semis. Sumat aeger ter de die pro ratione virium et circumstantiarum pilulas sex, octo etc. Sub usu autem harum pilularum non omittendus est copiosus usus potus diluentis.

Jalappa. Securum purgans et efficax contra Taeniam remedium; experientia illustriss. Swietenii *a*) et Wepferi *b)* edoctus saepe bono cum effectu hoc remedio usus sum, a scrupulis duobus, ad drachmam integram additis granis sex, septem mercurii dulcis; sollicite autem, ut immortalis van Swieten provide monet, pulvis jalappae diu teratur saccharo, ne resina tenax lacunis intestinorum adhaereat, et tormina excitet. Per transcennam mihi hic notare liceat, quod duce Sydenhamo in gonorrhoea debellato primo stadio repetitis toties experimentis jalappa non melius noscam remedium tam ad mitigandum, quam ad sistendum fluxum.

a) Commentar. Tom. IV. pag. 338.
b) De cicuta aquatica. pag. 224.

Morus nigra. Baccae mori nigri copiosius comestae alvum sollicitant, et jam ab antiquis medicis vermes intestinorum omnis

generis expulisse notantur; contra Taeniam laudatur praecipue cortex radicis, qui valde amarus et acris est. Clariss. Andry *a)* sequens suadet remedium: ℞. Cort. mori, radicis mori ana drachmas tres cum dimidia, ebulliant in libra una aquae per dimidiam horam, colatura sumatur mane jejuno ventriculo pro duabus vicibus. Hoc remedio vermis non solum necatur, sed etiam, uti author toties observavit, per alvum eliminatur.

a) De la génération de vers dans le corps de l'homme, pag. 172.

Sabadillae semen: acerrimum, ingrate amarum, et apicem linquae quasi per acus nauseosa dulcedine pungens, sollicitans simul salivae affluxum, interno usu etiam animalibus nocivum. Nihilominus hoc remedium contra vermes interne exhibitum quam maxime extollitur: clariss. Schmucker *a)*, hoc remedium contra Taeniam Nufferiano tutius et efficacius declarat; teneris infantibus a secundo ad quartum usque aetatis annum mane et vesperi duo grana hujus seminis cum syrupo rhabarbarino exhibet; jubet praeterea, ut infusum flor. sambuci cum lacte desuper bibant; omni decimo aut duodecimo die purgentur rheo. Quidquam adul-

tioribus a septimo nempe usque ad octavum annum bis de die exhibet grana quinque; ab octavo ad duodecimum grana decem. Contra ascarides suadet idem medicamentum, ut in aqua coctum et aequali quantitate lactis mistum forma clysmatis injiciatur. Plures autem sunt, qui usum hujus remedii internum valde suspectum declarant: illust. Hallerus *b)* semen sabadillae ventriculo maxime inimicum esse asserit, ita, ut unicum ejus granum linquam eroserit, et intensum ptyalismum produxerit. Cel. Carolus Fried. Born *c)* observavit sabadillae semen saepius aegris datum vomitus intensos excitare, nec peculiari vi vermes expellere. Cel. Gleditsch *d)* semen sabadillae contra Taeniam acre et causticum remedium esse asserit, quod facile inflammationes et gangraenam inducit. Inter tot diversas sententias caute media via incedendum esse judico. Circa usum hujus remedii paucis se explicat clar. Muray *e)* : *Nec in hisce periculis*, dicit, *dijudicari volo sabadillae virtutem ex lubrico rationis ludibrio, sed firmiori longe experientiae fulcro, quae utique favet; modo meminerint juniores et inexperti in repetendis iis cautionem justam non esse negligendam.*

a) Vermischte chirurg. Schriften. Vol. II.

b) *Vorlesungen über die gerichtliche Arzneywissenschaft, pag.* 260.

c) *Dissertatio de febri gastrica putrida.*

d) *Schriften der berlinischen Gesellschaft naturforschender Freunde. I. Band pag.* 77. 1780.

e) *Apparatus medic. Vol. V. pag.* 173.

Sabina. Folia gravem, resinosum, et ingratum spargunt odorem, saporis sunt amari, calidi: semper anceps, et saepe anicularum consilio puellis lascivis lethale remedium. Laudatur quidem ab aliquibus contra vermes, praecipue contra Taeniam ex- et interne adhibitum; consultius autem duco abstinere a remedio ancipiti, dum tutiora possidemus.

Ex Regno Minerali.

Cuprum ammoniacum. Remedium est valde heroicum non nisi summa cum cautella adhibendum, rejiciendum illico, si vomitus continui, debilitantes statim in principio inde oriantur; non raro enim hi effectus sunt lethales, nec oleo, nec lacte compescendi. Prudentiores exhibent bis, terve de die quartam partem grani cum scrupulo uno sacchari, et si aeger bene fert, sensim augent dosim ad grana tria, etiam quatuor intra nyctemerum.

Flores Zinci. Si largiori dosi in principio exhibentur, facile emesim movent; granum semis cum scrupulo uno pulveris radicis valerianae et sacchari mistum, et ter de die exhibitum contra omnes vermium intestinalium species saepe bonos effectus praestat. Potest successive augeri dosis ad granum unum, duo et tria, si aeger hoc remedium bene fert, et effectus tarde respondet.

Lapis infernalis. Hoc remedium ad usus externos adeo egregium, et a magno Boerhavio scopo purgante in hydrope cum multo potu effectu non infelici exhibitum non nulli etiam contra Taeniam suadent: effectum quidem denegare non audeo, sed, dum exhibetur, summa cautella opus esse judico.

Limatura martis. Ferrum in subtilissimum pollinem redactum Werlhoff, Glauber et multi alii laudant contra vermes, si adultis bis de die ad grana xv. cum saccharo aut syrupo quodam exhibetur. Cum ventriculus et intestina illorum, qui Taenia laborant, semper magna quantitate muci sint referta, medicus Russus contra malum hunc hospitem per aliquot dies consecutive dedit drachmam unam limaturae martis alcoholisatae cum tam bono eventu, ut Taenia feliciter fuerit expulsa: non minori cum successu clar. Cullen exhibuit rubiginem ferri

incipiendo a granis v. et sensim ascendendo ad tantam dosim, quantam ventriculus ferre potuit. Quibus ex assumpta ferri limatura pondus in ventriculo et anxietates oboriuntur, his acida prosunt.

Mercurius. Mercurius vivus in aqua decoctus a multis contra vermes laudatus interdum effectum praestat, si ad experimentum adhibetur mercurius ab heterogeneis necdum depuratus; particulae enim antimoniales, arsenicales et sulphureae hydrargyro impuro adhaerentes per coctionem ab eodem abluuntur, aquae admiscentur, et ita ingestae in ventriculo et intestinis sensibilibus dolores, spasmos, diarrhoeas etc. excitant, unde non raro vermes ad exitum coguntur. Sed votis non respondet effectus, si ad experimentum eligitur mercurius ab omni heterogeneo sollicite depuratus; per menses enim coctione in aqua vexatus nec hilum perdit de suo pondere; unde nec aquam, in qua decoquitur, activa quadam vi impraegnare potest; quod jam dudum demonstravit incomparabilis practicus Bursierius. Toties repetitis experimentis hanc aquam semper fatuam et inefficacem inveni. Syphilide laborantes saepe etiam vermes in intestinis fovent. Ad morbum hunc curandum interdum larga manu adhibetur mercurius ita,

ut foeda salivatio aegrum saepe per plures dies misere vexet; ab usu solo mercurii nunquam vermes excretos vidi, nisi cum ad impediendam, vel imminuendam, aut penitus tollendam salivationem repetita purgantia exhibui. Celeb. Scopoli nullibi majorem copiam vermium tam in juvenibus, quam in adultis observavit, quam in Idria, ubi mercurius ex fodinis eruitur, et hi pauperculi hoc labore panem lucrantur.

Praeparata mercurialia quod concernit e. g. mercurium dulcem, aethiopem mineralem etc. utpote salia mineralia, ex eo conducere mihi videntur, quia parca dosi purgantibus mixta potenter mucum incidunt, vim purgantium acuunt, et sic fortius vellicando parietes intestinorum affluxum laticis aquosi adaugent, ut ita vermes in tali lacu quasi fluctuantes citius ad exitum sollicitentur. Inter haec praeparata autem contra Taeniam praecipue laudatur.

Mercurius sublimatus corrosivus. Remedium causticum, saporis metallici, acerrimi: clar. Bruand *) suadet contra Taeniam mercurii sublimat. corros. in unciis quatuor aquae fontanae in balneo mar. soluti drach. jj. solutionis hujus ter filtratae guttas xv. ad xxx. in cyatho lactis exhibet, et pro re nata repetit: eadem dosis juxta ipsius observata

etiam in clysmate convenit. Non nulli valde bonum effectum sperant, si granum unum mercurii sublimat. corros. in drach. una aquae communis destillatae solutum cum libra una decocti althaeae miscetur, et aegro vasculatim exhibetur, interpositis purgantibus, quantopere autem ego spe mea fuerim delusus *ex casu XVIII. supra Cap. II.* descripto patet.

*) *Commentar. de rebus in historia naturali et med. gestis. Tom. XXI. pag.* 227.

Petroleum. Raro hisce temporibus in usus internos adhibetur; est enim stimulans remedium, et valde calefaciens: Aegyptii utuntur petroleo contra Taeniam tribus ultimis lunae decrescentis diebus dosi xxx et xxxx guttarum, quas aquae instillant, et absumunt; die quarto vi remedii purgantis vermem expellere nituntur *). Clariss. Vicat ad Taeniam expellendam petroleum laudat dosi a guttis xx ad centum. A variis etiam multum extollitur sequens remedium: ℞. Petrolei, Terebinth. aa unc. j. Camphor. dr. jjj. misce, sumat aeger Taenia laborans bis terve de die guttas xx—xxx. dolores colicos a vermibus ortos, inunctione abdominis petroleo et allio minutissime contrito instituta, cessasse observavit cel. Rosenstein.

*) *Haselquist iter per Palaestinam.*

Stannum. Jam ab antiquis temporibus practici contra Taeniam rasuram stanni, et ejus cineres non infelici cum eventu in usum vocarunt: neotericorum non nulli hanc virtutem non a stanno, sed ab arsenico, quod plerumque ipsi adhaeret, derivant, et multa inde mala timent. Clariss. Pallas theoreticis hisce nugis non deterritus summopere commendat pulverem stanni methodo *Alstanii* paratam *): modus praeparandi hunc pulverem sequens est: sumitur stannum anglicanum purissimum, quod funditur, et in pyxidem ligneam granulatoriam creta optime intus obductam immittitur, et tamdiu concutitur, donec stannum in minutissima granula vertatur: circa usum hujus pulveris Pallas ita se exprimit: *die jovis ante phasim lunae exhibeatur aegro purgans ordinarium ex foliis sennae paratum; die veneris sumat stanni granulati drachmas sex cum unciis quatuor syrupi althaeae; die sabathi assumat drachmas tres, et totidem die dominica cum sufficienti quantitate syrupi; die subsequenti repetatur supra dictum purgans, quod plerumque Taeniam expellit.* Non sine optimo fundamento tota haec virtus a stimulo mechanico est derivanda; clariss. Mead stanni rasi et pulver. corallior. rubrorum ana drachmam unam cum syrupo absynthii

in bolum redacta bis de die (partitis sine dubio dosibus) contra Taeniam exhibet: stannum purissimum rasum bis de die ad unciam semis commendatur in eundem scopum *in Pharmacopaea pauperum in usum nosocomii Edinburgensis.*

*) *Medical Essays Vol. V. Part. I. Observat. VII.*

Vitriolum martis artificiale. Potens, experientia teste, contra vermes remedium; magnus Boerhave nobilis prosapiae Russum a Taenia liberavit, dum ipsi mane jejuno ventriculo solutionem drachmae unius vitrioli martis artificialis in libra una aquae factam addita simul gentiana, filice mare, Jalappa et Valeriana successive potandam exhibuisset imperato simul corporis motu. Summe laudata contra vermes remedia Rosensteinii, Wilhelmi vitriolum martis artificiale continent: in pulvere aut bolo infantibus exhibetur a granis duobus ad sex, magis adultis ad scrupulum unum, et drachmam semis.

II. Remedia, quae Taeniam per amaritiem subducunt, aut ad excretionem irritant.

Aloe. Nauseosi odoris et saporis ama-

rissimi remedium est, ob virtutem purgantem notissimum; mirum! quod remedium, in quo omne, quod anthelminticum dici potest, concentratum esse videtur, juxta repetita experimenta *acutissimi Rhedi a)* contra vermes fere omni careat efficacia. Saepius tentavi aloen etiam largiori dosi contra Taeniam, sed vix unum alterumve articulum inde excretum fuisse observavi.

a) De animal. viv. etc. pag. 159.

Aquae minerales. Ab illis praecipue effectus est sperandus, quae multo sale sunt impraegnatae; harum virtus exaltatur, si leni simul stimulo martiali gaudent. Hunc in censum venit aqua egrana, carolinensis, roitschensis, seidschyzensis et plurimae aliae; hoc tantum notandum est, quod hae aquae in magna copia debeant hauriri, ut effectus subsequatur. Huc quoque referri potest *Aqua* sic dicta *aërea*, olim dum adhuc terra selenitica fuit inquinata, arcana; modo purior ex unciis duabus cum dimidia salis amari in libris duabus aquae solutis habetur.

Brassicae muria, si ea methodo exhibetur, uti supra *Cap. II. Casu IV.* fuit notatum, bonos effectus contra Taeniam pro-

mittit, et conveniens praecipue pro pauperibus remedium est.

Carbonum ligni pulvis in Islandia feliciter contra Taeniam adhibetur. *(Oloff Povelsen Reise in Island*, 1 *Theil Seite* 113.)

Cinae sive santonici semen. Notissimum contra vermes remedium, saporis valde amari, subacris, et odoris fortis, peculiaris; si ad expellendam Taeniam adultis porriguntur haec semina, dosis sit ad minimum drachmarum duarum, subjuncta tinctura rhei per duos subsequos dies: maxime prodest sub initium vel finem decrescentis lunae per tres dies datum: *(Murray apparat. med. Tom. I. pag.* 115.) infantibus haec semina exhibet ad grana decem, quindecim, inspergatur pani, butyro aut melle obducto. Optime autem porriguntur saccharo incrustata, interpolatis vicibus convenientia purgantia propinando.

Filix mas. A Dioscoride et multis aliis antiquissimis authoribus experientia comprobatum contra Taeniam remedium est, si in pulvere ad drachmas quatuor exhibetur cum melicrato. Ante usum autem aegri allium assumant; magis activum autem fit, si scammoneum et veratrum nigrum *(Helleborus niger)* simul addantur *a)*: praegustato allio eandem medicinam laudat ad expellen-

dam Taeniam Gallenus *b)*: Simon Pauli *c)* radicem filicis maris et Taeniae et lumbricis summe inimicum remedium esse asserit: non desunt experimenta, ubi solus pulvis rad. filicis maris largiori dosi exhibitus Taeniam expulit; felicior tamen effectus, si una alterave hora post assumptum pulverem purgans exhibetur. Pulvis recenter paratus toties repetito a me tentamine multo securius operatur, quam effoetus jam diu ante in pyxide asservatus: variorum, quae contra Taeniam extolluntur, arcanorum basim constituit pulvis rad. filicis maris. Laudabilis in medicina clinica zelus est ad mitigandos et tollendos morbos naturae producta experimentis subjicere, et ea denique eligere, quae in emolumentum aegrorum votis respondere videntur; sed triste est, aucupando semper nova illa negligere, quae fidis antiquorum medicorum observatis fuerunt comprobata. Nec remedium Nufferianum tanto auro redimi, nec avaro aliorum, qui arcana vendunt, instinctui vita tot pauperum, qui solvendo impares fuerunt, sacrificari debuisset, si illa, quae Dioscorides, Gallenus et post illos tot alii ex observatis docuerunt, non fuissent neglecta. Decoctum radicis filicis maris tam ore haustum, quam forma

enematis injectum multo minus efficax est quam pulvis.

a) *Dioscoridis mater. med. Libr. IV. Cap.* 186.
b) *De simpl. medicament. Libr. VIII.*
c) *Quadripart. Bot. pag.* 333.

Juglandis nuces. Nucleos nucum juglandis in largiori copia devorare populares contra lumbricos et Taeniam (sine dubio ab experientia) sibi invicem suadent; ipse Hypocrates ab uberiori commestione horum nucleorum lumbricos latos expulsos observavit *) **). De virtute olei, quod ex hisce nucibus exprimitur, contra Taeniam paulo inferius fiet mentio.

*) *Murray apparat. etc. T. I. pag.* 59.
**) *Neuer Schauplatz der Natur, durch eine Gesellschaft von Gelehrten. IX Band. Seite* 506.

Spigelia anthelmia. Odoris valde ingrati planta, Brasiliae incola a clar. Browne et aliis multum contra vermes intestinorum laudata, multis ob vim narcoticam suspecta, dosi paulo largiori vertiginem, hebetudinem sensuum, lethargum et deliria induxit. Experimentum hac planta in schola clinica contra Taeniam institutum votis non respondit *(vid. Cap. I. Cas. II.)*

Spige-

Spigeliae marilandicae praecipuas vires cl. Bergius et Dalberg in morbis nervorum observarunt.

Valeriana sylvestris. In morbis nervorum summe laudatum remedium, quod se virtute sua anthelmintica praecipue commendat: electuarium contra vermes, quod illustriss. Baro de Störk suadet, quotidiana experientia comprobatur; componitur ex pulv. Valerian. sylvest. jalapp. sale medio et oximelle squilitico (vide) *medicinisch-practischer* Unterricht etc.

III. Remedia, quae per lubricitatem efficacia cognoscuntur.

Huc praecipue revocanda sunt olea expressa e. g. *oleum amygdalinum*, *olivarum*, *nucum juglandum*, *ricini americani*, *oleum omphacinum*, quod juxta observata Mesuae *a)* vermes latos interficit sua amaritudine, et educit sua viscositate. Celebris medicus Augenius, qui sub finem seculi XVI. scripsit, contra Taeniam dedit olei amygdal. dulc. libram unam et semis pro quatuor vicibus ita, ut sextam horae partem inter unam et alteram sorbitionem interponeret; hora prandii statim ante cibum dedit bolum

ex speciebus hierae drach. j. et rhei scrupulis duobus, et desuper decoctum.

Anonymus quidam laudat sequens remedium, ℞. Opii puri gr. j. Olei amygdal. unc. jj. misce exactissime, et exhibe jejuno ventriculo pro dosi, post horam porrigatur purgans drasticum: in duobus aegris hanc methodum tentavi; ambos hora elapsa ex profundo somno ad deglutiendum drasticum erigere debui: primus sexies deposuit alvum cum ulna circiter Taeniae sine capite, secundus quater sine ullo articulo. *b*) Celeberr. Selle *c)* ante expulsionem Taeniae ad vesperas exhibet aliquot cochlearia olei olivarum aut ricini bonae indolis; subsequenti mane jejuno ventriculo porrigit gummi guttae grana x. si vermis repugnat, idem remedium repetit, et tenue jusculum superbibendum suadet, nec metuit hoc tertia etiam vice exhibere, si aegri vires admittunt; sed enema simul ex lacte dulci injici jubet. Clar. Buchan *d)* porrigit contra Taeniam *olei nucum* uncias quinque, hora cum dimidia elapsa uncias quatuor vini alicantini; hoc remedium omni mane per decem etiam quindecim dies continuandum esse suadet, cum miros inde effectus observaverit; de efficacia hujus curae observationem citat clar. Binet *e)*.

a) De aegritudinibus intestinorum pag. 61.

b) *Journal de Médicine, Chirurg. etc. par Mons. Roux.* 1773. *Tom. XXXIX.*

c) *Handbuch der medizinischen Praxis. Seite* 111.

d) *Médecine domestique Tom. III. pag.* 106.

e) *Journal de Méd. etc.*

Oleum juglandum recens cum vino alicantino ut specificum extollit clar. Postel de franciere, et ad curam prophylacticam contra Taeniam praecipue commendat potum coffeae et vini boni dulcis*).

*) *Journal de Médecine ut supra.*

Oleum ricini americani. Medicus genevensis Odier hoc oleum contra vermes inter arcana habuit; infantibus exhibuit aliquot parva cochlearia intra nyctemerum, adultis et robustis aliquot uncias, his vero, dum de Taenia agebatur, matutino tempore bihorio ante usum olei dedit drachmas duas pulveris radicis filicis maris. Dantur modo plures practici, qui specificam vim huic oleo ad Taeniam expellendam adscribunt, eamque experimentis suffulcire nituntur. Celeberr. Andreas Muray *a)* proprietates olei ricini bonae indolis ita describit: *Genuinum oleum ricini crassum, et viscosum est, expressum cum mucilagine fluida comparet, fere insipi-*

dum vel dulce, nec ullum acrimoniae sensum in faucibus relinquens; recentius et melius est subopacum quam illud diaphanum et coloris crocei: colorem glauco viridescentem praesefert, et gravitate specifica tam omnia olea reliqua, quam pinquedines animales antecellit; frigore solidescit colore succini fere pellucidum; accensum ellychnio claram flammam edit absque fumo et nidore, sed odore grato quasi cerae: quibusdam referre visum est oleum amygdalinum cum sapore post aliquam gustationis moram nauseoso, vel ut quasi ex oleo nucum subrancido (id fit si antiquum jam est). *Venale multiplici modo colore et acrimonia variat; quo albidius est, tanto minor purgandi efficacia insidet.*

Oleorum virtutem contra Taeniam ab antiquis temporibus notam multoties (uti ex casibus Cap. II. annotatis patet) non infelici cum eventu expertus sum; palam autem fateri debeo, me nullam unquam unius olei, de quibus hic sermo est, prae altero praerogativam detegere potuisse, ita, ut eundem effectum ab oleo amygdalino, ab oleo nucum etc. observaverim quem ab oleo ricini americani; et non raro spe mea fuissem delusus, si non exhibitis purgantibus et enematibus acrioribus expulsionem Taeniae, quae innumeris osculis firmiter tunicae villosae agglu-

tinata adhaeret, solicitassem. Virtus anthelmintica oleorum ex eo potissimum derivari potest, quod et tunicam villosam intestinorum, et ipsius vermis superficiem sua pinquedine obliniant; unde obductis simul osculis alimentariis vermis motu peristaltico per lubricatum cannalem intestinalem saepe feliciter elabitur.

a) Apparatus med. Tom. IV. pag. 208.

Remedia contra Taeniam variorum experientia comprobata.

Quot mutationibus, quot coloribus clariss. Herrenschwand suum contra Taeniam arcanum, ut tectum maneret, obduxerit, ex illis colligere licet, quae ab attentis hujus rei scrutatoribus fuerunt annotata; *a) b) c) d) e) f) g)*. Ex auctoribus infra citatis inter se comparatis, ut verbis celeberr. Murray *h)* utar, *colligere pronum est, modo excipiatur gummi guttae, quod in omnibus praeceptionibus praesto est, mutasse eum sua consilia pro temporum serie, donec tandem lumina seriora aliorsum petita conjungere in aegrorum salutem disceret.* Ipse vero in experimentis *(Traité des principales et des plus frequentes maladies externes et internes* 1788.

pag. 444. *et ordonnances pag.* 105.) subsequentes regulas subministrat; *per biduum, si ventriculo justum robur competit, mane jejuno stomacho et bihorio post modicam caenam ex aqua, aut intra nebulam (Oblat.) capitur drachma una pulv. rad. filicis maris, vel sub ejus defectu filicis foeminae: tertio die mane pulvis ingeritur hicce: Recip. Gummi guttae grana xjj. Sal. absynth. neutri gran. xxx. Sapon. Starkeyi gr. jj. misce intime, detur ad chartam; fiant doses tales numero requisito: hic pulvis spatio duarum vel trium horarum plerumque vomitionem unam vel alteram blandam, totidemque dejectiones alvinas ciet. Evacuationes hae levantur bibendo post quodlibet poculum (Goblet) aquae tepidae vel infusi tenuis theae cyathos duos; tres horas post capitur in cyatho jusculi carnei uncia una olei ricini. Hora post haustus olei iteratur, et si vermis non secedat, tertius haustus bihorio post secundum capitur: hunc excipit mitis alvi dejectio et paulo post vermis in sellam perforatam deponitur; si vero iter detrectat, applicatur vesperam versus clysma ex partibus aequalibus aquae et lactis additis olei ricini unciis tribus, et plerumque hoc vermem integrum cum suo filamento excutere solet. Haec* ille aliis licet verbis; addo, eum hancce medendi

normam duplici Taeniarum speciei parem repetisse et solio, et Taeniae latae, et cum una subinde lumbrici secesserint, elucet vel hosce eadem subigi posse. Non quidem satis clare describitur, quot doses superius descripti pulveris, et quo temporis intervallo debeant exhiberi; probabile tamen est, quod, si prima dosis alvum necdum subducat, valentibus viribus post quinque sexve horas secunda, et sub eadem conditione etiam tertia exhibenda est.

a) *Biblioth. raison. Tom.* 33. *Octob. Novemb. Decemb. pag.* 281.

b) *Bonneti Commentat. in mémoir. de mathemat. et de physic. presentés à l'Academ. roy. des Scienc. Tom. I. pag.* 479.

c) *Van Swieten, Commentar. Tom. IV. pag.* 739.

d) *Rueff in novis actis natur. curiosor. Tom. VI. pag.* 21.

e) *Andreae, Dissertatio de Taenia* 1769.

f) *Vogel, praelectiones de cognoscendis et curandis morbis pag.* 652.

g) *Ballas, neue nord. Beyträge. Vol. I. pag.* 69.

h) *Apparat. medic. etc. Tom. V. pag.* 458.

Nufferiana methodus ex casibus supra Cap. II. descriptis abunde patet; synopsis haec est: Pridie ad vesperas post parcam

caenam ex jusculo tenui, cui panis albus incoctus est, aegro injicitur enema ex decocto emollienti cum oleo olivarum, et pauxillo salis communis; sequenti die mane jejuno ventriculo exhibentur drachmae tres pulveris rad. filicis maris ex aquae communis unciis sex: ad praevertendum vomitum aeger os eluat, et dentibus conterat cortices aurantiorum, vel citri, caveat autem, ne quid deglutiat; casu, quod pulverem vomitu rejiceret, eadem dosis nausea sedata iterum est ingerenda, et abstinendum ab omni cibo et potu. Post bihorium exhibetur sequens bolus: ℞. Scammonei, mercurii dulcis ana grana xjj. Gummi guttae gr. x. Roob mororum quantum satis. Misce fiat bolus, detur pro dosi: attendendum autem semper in praescriptione hujus boli ad constitutionem et vires aegri: assumpto bolo exspectandum, donec alvus incipiat moveri, tunc interpolatis vicibus infusum tenue ex floribus verbasci et similibus potest assumi; si circa tempus prandii vermis suo loco non egreditur, sumat aeger jusculum, cui, si esurit, panis albus potest esse incoctus, et olera; saepe enim fit, ut post prandium primum secedat: hoc nisi fit, tunc cura eadem ratione et cum patientia est continuanda (pro-

ti; ex casibus superius Cap. II. descriptis patet.)

Specificum Glossii contra Taeniam. Ad vermem hunc expellendum clar. author sequentia exhibet remedia: ℞. Mercurii dulcis recenter parati gran. xjj. Concharum sine igne praeparatarum scrupul. j. Misce, fiat pulvis, sig. Nro. I. ℞. Olei amygdal. dulc. unc. j. detur, sig. Nro. II. ℞. Gummi guttae grana xxxvj. Pulv. cardui benedict. scrupul. j. Pulv. rad. angelicae, ♉ marchionis epilept. aa. gran. vjjj. misce, dividatur in tres doses aequales, signetur Nro. III.

Aeger post parcam caenam sumat ex aqua pulverem Nro. I. post dimidiam horam sumat cum jusculo Nro. II.

Die sequenti mane jejuno ventriculo ex pulveribus Nro. III. assumat unum aqua dilutum; iterati inde oriuntur vomitus, et dejectiones alvinae; post singulas evacuationes aut per vomitum aut per alvum subsequentes sumat aeger vasculum potus theati leniter amaricantis. Bihorio post assumptum primum pulverem examinentur excrementa, si nondum secessit Taenia, secunda dosis exhibeatur; si etiam huic renititur, tunc post duas horas etiam tertia dosis est exhibenda, quae, uti author affirmat, certissime Taeniam expellit *). *Repetito tentamine haec Tae-*

niam eyciendi methodus spem meam non fefellit habita semper attentione ad aetatem, ad vires etc. aegri **).

*) *Apparatus medic. etc. Tom. IV. pag.* 126.
**) *Fritze, medicinische Annal. Vol. I. p.* 309.

Remedium Richardi de Hautesierk contra Taeniam.

Celeberrimus Murray in citatione hujus remedii ita se exprimit: *Apertius cel. vir, quam isti arcanorum venditores declaravit suum contra Taeniam medicamen; quod sequens est:* ℞. *Gummi guttae gran. x. semin. colocynthid. Nro. jjj. cum amygdal. amar. Nro. j. et syrup absynthii quantum satis tritis, fiant boli Nro. II. qui pro dosi singulis octo diebus sunt repetendi.*

Ab usu hujus remedii valida tormina in abdomine oborta fuisse experientia docuit; antidotum in mucilaginosis et oleosis, quae per os et per anum largiter subministrari debent. Remedium interim semper est anceps.

Remedium contra Taeniam celeberr. Schmukeri *).

Clariss. vir curam pro adulto ita dirigit. In principio alvum subducit pulvere rhei

cum sale mirabili Glauberi; sequenti mane exhibet pulverem sequentem pro dosi: ℞. Pulv. semin. sabadill. Oeleosacch. foenicul. aa drach. semis. Mox post assumptum pulverem unum alterumve vasculum infusi florum chamomillae aut sambuci hauriri jubet; oritur interdum vomitus, quo vermes, si ventriculum occupant, ejiciuntur. Post horam exhibetur jusculum tenue ex avena paratum; postero die idem pulvis repetitur, qui plerumque iterum vomitum excitat; die tertio, si vermis pertinaciter resistit, pulvis supra dictus dividitur in duas doses aequales, quarum una porrigitur mane, altera ad vesperas; idem fit quarto die: quinto mane exhibetur purgans rhabarbarinum; die sexto sumat aeger matutino tempore bolos tres, quorum quilibet componitur ex granis quinque pulv. sabadill., et mellis pur. quant. satis. Totidem boli porriguntur circa vesperas. Sic continuatur per alios quatuor dies, et quinto iterum datur purgans. Hoc tamdiu continuandum est, donec muci quantitas in excrementis imminuatur, et aeger in abdomine nullas molestias amplius sentiat; (an hoc sperare licet, cum sabadilla intus sumpta semper atroces abdominis dolores excitat?) Haec cura subinde per viginti dies et ultra est continuanda, si mucus abundat.

Infantibus a secundo aetatis anno ad quatuor exhibentur mane et vesperi pulv. sabadill. grana duo cum parvo cochleari syrupi rhabarbarini, dato desuper infuso flor. sambuci cum pauxillo lactis; hoc remedio per quatuor dies continuato alvus laxatur granis decem vel duodecim pulv. rhei: pro ratione evacuati muci haec cura, uti jam dictum fuit, saepius est repetenda. *Longa est haec cura, valde taediosa, et non omni periculo vacat.*

*) *Vermischte chirurgische Schriften. 2. Band. pag.* 71.

Modus expellendi Taeniam clariss. Lagene sequens est; author inchoat curam injecto pridie ad vesperas enemate ex decocto ficuum; sequenti die matutino tempore jejuno ventriculo porrigit sequentem medicinam. ℞. Rad. valerian. sylvest. recenter pulverisat., putamin. ovorum calcinator: et tritor. aa. drach. j. macerata in vitro vini albi sumat aeger pro haustu. Sumta hac medicina maneat aeger in lecto, et paululum sudet, neque intra spatium trium horarum ipsi porrigatur cibus aut potus; elapso hoc tempore dari potest jusculum. Quarto die sequens purgans propinetur: ℞. Mercurii dul-

cis gran. x. Panaceae mercur. gr. iv. Diagrydii sulphurat. gran. xjj. Putamin. ovor. calcinat. et tritor. gran. xx. Syrup. flor. persicor. quant. sat. Misce, fiat bolus mane sumendus: elapso bihorio capiat aeger vitrum unum de sequenti remedio: ℞. Fol. sennae mundae unc. semis, infunde in sufficienti quantitate aquae per ¼ hor. adde salis tartari fixi gran. vjjj. digerantur leni igne per noctem, et colentur ad usum. Hora ab assumto primo vitro elapsa detur jusculum; remedii purgantis usus continuetur, aut intermittatur, prouti ipse effectus requirere videtur; vesperi autem clystere utendum: robustioribus pro indicationum ratione vomitorium ex tartaro emetico, et enema est exhibendum. Hoc modo procedendum est semper tribus diebus, donec Taenia discesserit: notandum has doses ratione aetatis, et constitutionis aegri esse mutandas. (*Medical Essays and observations by Charles Bisset Anno* 1766.) *Journal de Médecine, Chirurgie etc. par Mons. Roux. Tom. quadragesimo sexto pag.* 220.

Clariss. Rathier ad expellendam Taeniam commendat sequentem bolum: ℞. Pulv. sabinae gran. xx. Pulv. semin. ruthae gran. xv. Mercurii dulcis gran. x. Olei tanaceti gutt. xjj. Syrup. flor. persicor. quant. satis.

Misce, fiat bolus, cujus medietas sumatur mane, altera ad vesperas, desuper hauriatur cyathus vini, in quo nuclei persicorum per xjj. horas fuerunt macerati. (*Journal de Médecine, Chirurgie etc. par Mons. Roux. Tom. XVIII. pag.* 44.)

Anonymus ad expellendam Taeniam suadet mane jejuno ventriculo tria cochlearia olei amygdal. dulc., vel olivarum aut nucis juglandis, et post horae quadrantem salis communis pugillos duos (drachmas duas) in cochlearibus quatuor (unciis duabus) aquae solutos; post sesqui horam admittitur jentaculum modicum; remedium hoc per duas tresve septimanas continuari jubet. (*Lib. citat. Anno* 1773. *Tom. XXXIX.*)

Clariss. Lieutaud contra Taeniam sequentia remedia laudat: ℞. Diagryd. cremor tartari ana scrupul. β. Antimon. diaphor. gr. xjj. Pulv. radic. filicis mar. Pulv. rad. mori fructu nigro ana drach. β. Misce, fiat pulvis, detur pro dosi. ℞. Pulv. sabinae. semin. ruthae ana gran. vjjj. Mercurii dulcis gr. iv. Olei essential. tanacet. gutt. vj. Misce, fiat cum syrupo persicorum bolus mane sumendus superbibendo vitrum infusi vinosi nucleorum persicorum. (*Précis de la matière médicale. Tom. I. pag.* 432.

Celeberr. Buchan *a)* ad Taeniam et alias

quoque vermium species expellendas exhibet olei nucum uncias quinque, et hora cum dimidia elapsa uncias quatuor vini alicantini: hoc remedium omni mane continuatum per decem ad quindecim dies ex observatione authoris miros praestat effectus:

Magnam adhuc hunc in scopum quadrantem formularum copiam in medium proferre possem, has vero ideo omitto, quia notabilem partem earum ad pulpitum bene excogitatam, in praxi autem inanem inveni; et multi, dum suo remedio unam alteramve ulnam Taeniae excutiunt, non solliciti de capite, se integram Taeniam ejecisse gloriantur.

a) *Buchan, Médecine domestique. Tom. III. pag.* 106. *Vide etiam Journal de Médecine. Nov.* 1781. *pag.* 430.

Dominus Mathieu, Pharmacopaeus Berolinensis et Consiliarius regius per novellas publicas evulgavit remedium specificum contra Taeniam, quod hucusque in arcanis habet, et aegris pretio sex Friderich'd'or vendit. Nobilis vir Vindobonnensis, cujus uxor (*vide Cap. II. Cas. XVII*) per biennium a malo hoc hospite vexabatur, suis sumptibus hoc remedium adferri curavit, duobus fictilibus constans, quorum unum litera *A*, alte-

rum *B.* signatum, utrumque vero electuario repletum est. Modus exhibendi in praeceptis typo mandatis, et a *D.* consiliario subscriptis ad literam sequens est.

Behandlung

des am Bandwurm Leidenden.

1.

Ich lasse den Kranken eine zwey bis dreytägige Diät halten, während welcher er keine nahrhaften Speisen, kein Brod, Semmel, und Mehlsuppe, sondern nur dünne Panaden, frische Heringe, und magere Gemüse essen darf.

2.

Ich gebe hierauf alle 2 Stunden von dem Opiat *A.* einen Theelöffelvoll, womit ich 2 oder 3 Tage nach Umständen fortfahre, d. h. bis der Wurm sich gelöset hat, muſs dieselbe Diät beobachtet werden.

3.

Die Purganz *B.* wird Theelöffel-weise alle 2 Stunden bis zur Erwirkung des Wurms gegeben. Es gibt indessen noch Fälle, bey welchen, wenn diese nicht wirkt, das Oleum Recini gute Wirkung gethan hat.

4. Da

4.

Da das Alter, Geschlecht, und der Zustand der Kranken sowohl als auch die verschiedene Art der Würmer, die mehr oder weniger anhängen, Abweichung von dieser Behandlung erfordert, so rathe ich zu mehrerer Sicherheit, sich auf die Einsicht und Sorgfalt eines geschickten Arztes zu stützen.

5.

Muſs sich der Kranke bey Abtreibung des Wurms sorgfältig der Wärme bedienen, den Nachtstuhl mit warmem Wasser und Milch anfüllen, und dabey oft kaltes Wasser trinken, wonach sich der Wurm der Wärme vom Nachtstuhl nähert, und um die Ueberzeugung zu haben, das der Wurm abgegangen, so wird grobe Gage über die Oeffnung des Nachtstuhlgefäſses gelegt, und nachdem die Excremente darauf mit warmem Wasser aufgelöst, wo sich alsdann die wurmartigen Theile zeigen werden.

Für den Arzt.

Decrescente luna est tempus valde favorabilis *), ad totam hanc curationem.

*) *Error Typothetae.*

Für Opiat B.

Prudenter exhibendi, donec sufficienter per alvum reddit, et respice finem.

Mathieu,
königl. preufs. Hofrath.

Solutio Arcani D. consiliarii Mathieu vix *oedipo* indigere videtur. *Opiatum A.* in sufficienti quantitate aquae solutum, et sibi dein per aliquot momenta relictum exhibet pulverem rad. filicis maris, et in fundo stannum granulatum, quod jam primo post assumtum remedium die facile etiam in matula detegitur. *Opiatum B.* remedium Herrenschwandianum est, sed aucta dosi, quod D. consiliarius, ut novo pallio tegeretur, cum melle in formam electuarii redigit, et per parca cochlearia prouti *opiatum A.* exhiberi jubet; *opiatum B.* linguae verum salis saporem et resinosum simul quemdam sensum a gummi guttae imprimit; si parca hujus opiati dosis in parva aquae quantitate diluitur, et chartae albae illinitur, eadem mox quasi flavo vernice obducta apparet. De virtute hujus arcani nemo dubitabit, cui notum est, quantum auri Domina Nuffer, et Dominus Herrenschwand inde collegerint: eo magis activum autem debet

esse hoc remedium, quia Dominus consiliarius suo *opiato A.* simul stannum granulatum admiscet, quod teste celeb. Alstanio *) insignem ad Taeniam expellendam vim possidet, id quod ego repetitis experimentis comprobatum habeo. (*Vid. Cap. II. Cas. II*)

*) *Medical Essays Vol. V. observat.* 7.

In novellis publicis Vindobonensibus sub Nro. 42. Anno 1803. jussu *Augustissimi Russorum etc. etc. Imperatoris Alexandri* non tantum de bono suorum statuum, sed etiam de salute totius generis humani summe solliciti magnif. Dominus Archiater Beck novam methodum, qua Taenia feliciter expellitur, promulgavit.

> Auf die allerunterthänigste Ueberreichung eines von mir gekauften geheimen Recepts zur Ausrottung des Bandwurms, haben *Sr. Kaiserl. Majestät* allergnädigst geruhet, mich dafür *Allerhöchst Dero* besondern Wohlwollens zu würdigen, und den Befehl zu ertheilen, die Beschreibung dieses Mittels durch die Zeitungen bekannt zu machen, um dadurch die Gemeinnützigkeit desselben, welche durch

Versuche und Zeugnisse verschiedener Aerzte schon hinlänglich anerkannt ist, noch mehr zu verbreiten. Indem ich diesen *Allerhöchsten Kaiserl.* Befehl durch gegenwärtige öffentliche Bekanntmachung in Erfüllung bringe, hege ich den sehnlichsten Wunsch, das dieses Mittel unter der Leitung und Aufsicht geschickter Aerzte durch neue Versuche seine heilsame Wirkung in der Ausrottung dieses höchstpeinlichen Uebels auch künftighin bestätigen, und dadurch einigermaſsen der allgemeinen Fürsorge *Sr. Kaiserl. Majestät* zum Wohl der Menschheit, und seines getreuen Volkes entsprechen möge. Das Mittel wider die Taenia (Bandwurm) wird auf folgende Art gebraucht: der Kranke nimmt das Präparierpulver *(A)* um vier oder fünf Uhr Nachmittags in einem Esslöffel voll Wasser, oder wohl in Haber - oder Gerstenschleim gemischt ein, und trinkt Abends um Schlafenzeit nach einer leichten Nachtsuppe das süſse Mandelöhl *(B)* Den folgenden Morgen frühe nüchtern nimmt er auſser oder im Bette ein Päcklein von den drey Pulvern bezeichnet Specificum *(C.)* in einem

Schälchen Thee nebst einem Loth Syrup. Persicor *(D)*.

Dieses Pulver erweckt insgemein in Zeit von zwey Stunden zwey bis dreymahl Brechen oder Stuhlgänge; diese müssen erleichtert werden, indem der Patient während dem Brechen eine dünne Brühe oder ein paar Tassen schwachen Thee trinkt. Nach zwey Stunden wird der Stuhlgang untersucht. *NB.* Er muſs auch in der Nacht, wenn das Präparierpulver schon gewirkt hat, untersucht werden, und wenn sich der Wurm nicht ganz darin findet mit seinem Faden, daſs es das Ende und Kopf ist, so wird das zweyte Specificum auf gleiche Art wie das erste genommen, welche niemahls fehlt den Wurm ganz herauszubringen, der, wenn er denselben Tage insonderheit zeitig kömmt, deutliche Zeichen des Lebens giebt, wenn er in laulichtes Wasser gelegt wird; geht er aber den folgenden Tage weg, so kommt er todt mit einem natürlichen Stuhlgange. Es giebt Kranke, die von dem Mittel weder Brechen, noch Purgiren, und bey denen dennoch der Wurm mit einem natürlichen Stuhlgange weggeht. Der

Wurm wird zuweilen von der ersten Dosi des Specifici weggetrieben, doch selten; hingegen sehr oft und meistens mit der Wirkung des zweyten, und in diesem Falle ist die Cur gar nicht beschwerlich, und der Patient insgemein noch im Stande den nämlichen Tag auszugehen: da hingegen, wo man alle drey Doses nehmen mufs, so spürt man von dem Fasten, von der Evacuation, und vielleicht von der Bewegung eine Schwachheit oder Ueblichkeit; doch als das Mittel bey etlichen Frauenspersonen, worunter viele eines schwachen Temperaments, auch Kinder gewesen, gebraucht wurde, hat sich nie ein Zufall dazu geschlagen; die Patienten sind den folgenden Tag alle wohl gewesen, und der Arzt war nie genöthiget, um die Zufälle zu heben, etwas aus der Apotheke zu ordnen. Zwey Stunden, nachdem der Wurm weggegangen, können die Patienten eine leichte Mahlzeit nehmen; auch ein Glas guten Wein beim Essen trinken. Auch können sie sich (der Wurm mag weg seyn oder nicht) nach vier Stunden nach der dritten Dosis zu essen geben lassen.

Die Kranken bekommen zuweilen ein eignes Uebelseyn, dieſs vergeht aber, sobald sie eine Brühe genommen und sich gebrochen haben. Es geschieht auch, das sie die erste Mahlzeit wieder wegbrechen, in welchem Falle eine Schaale kalten Weins die Mahlzeit ersetzen kann. Wenn sich der Wurm zeigt, so soll er nicht abgerissen, sondern nur in einem Tüchlein eingewickelt hangen gelassen, das Mittel aber, wie vorgeschrieben, gebraucht werden, bis er ganz weggehet. Delicate Personen nehmen die erste Dosis des Specifici ganz, sollten sie aber davon mehr, als oben gemeldet, mitgenommen werden, so kann von den übrigen Dosen etwas wegbleiben, und wenn nach einer Stunde keine Wirkung des Specifici folgt, so muſs eine Brühe oder Thee genommen werden. Wenn das Specificum nur eine halbe viertel Stunde im Leibe bleibt, so ist es schon genug, sollte es aber gleich wieder ganz weggebrochen werden, so würde es keine Wirkung thun, deſswegen soll man es nicht zu der Zeit, wo man sehr eckel ist, nehmen, auch sonst hierwieder Sorge tragen; sollten

Zufälle sich ereignen, so werden dafür die sonst gewöhnlichen Purgiermittel gebraucht.

Das Präparierpulver A.

℞. Mercur. dulc. Scrup. j.
Cornu Cerv. ust. praeparat.
Cinnabar. antimon. aa gran. x.
Mis. fiat pulvis subtiliss. detur us.

Oleum amygdalinum B.

℞. Oleum amygdal. dulc. recent. express.
unc. jj.
Detur usui

Specificum ipsum C.

℞. Pulv. rad. filicis
— — jalapp.
— — valerian.
— Gummi guttae
— rad. cardui benedict.
— eburis usti, nigr. aa drach. semis.
Mis. f. pulv. subtiliss. dividatur in tres doses aequales. Sig. drey Doses des Specifici.

Der Syrup. D.

℞. Syrup. Persicor. unc. jß.

Mis. Sig. suo nomine: ein Esslöffelvoll zu jedem Pulver zu mischen.

NB. Bey starken Leuten kann man statt Jalappen ein halbes Quentlein Pulveris herbae gratiolae nehmen; kommt der Wurm nicht bis Mittag, so setzt man dem Kranken ein Clystier von bitteren Kräutern mit etwas englischem Salz, und kommt er dennoch nicht, so giebt man ihm auf den Abend ℞. Pulv. rad. jalapp. dr. j. Pulv. herbae gratiol scrup. j. F. doses Nro. jj. S. in Zeit drey Stunden zu nehmen.

J. Beck, Leibmedicus.

Haec curandi methodus parum differt ab illa, quam ex celeb. D. Glossio superius jam descripsi. Anno 1804 mens. Martio me accessit foemina fortis corporis habitus, caelebs, aetatis viginti sex annorum, coqua in domo lanionis, quae conquerebatur de languore ventriculi, et dolore spastico a cardia ad umbilicum usque per intervalla redeunte: dixit praeterea, se jam ab aliquot mensibus observasse in matula articulos Taeniae, et cum ante octo dies purgans a Chirurgo praescriptum sumpsisset, se in quarta evacuatione alvina excrevisse frustum Tae-

niae ulnae circiter longitudinis, quod extra anum jam pendulum, dum digitis extrahere voluisset, illico fuit disruptum; ab eo tempore superius enarrata symptomata continuare, et nec unicum amplius Taeniae articulum alvo excerni dolebat. Opportunum nunc tempus adesse judicavi curam magnif. D. Beck contra Taeniam in usum vocandi; hunc in finem omnia juxta ipsius ordinationem ad amussim praescripsi. Ne vero ullus error in exhibendis medicamentis committeretur, curavi vocari Chirurgum illius suburbii, in quo aegra demorabatur, ut docerem ipsum modum, quo singula subministrari debent. Ne autem memoria ipsum falleret, omnia clare adscripta ipsi tradidi; sequenti die post parcum prandium hora quarta pomeridiana incepta fuit cura cum remedio praeparatorio; ad vesperas sumpsit praescriptam dosim olei amygdalini: circa sextam matutinam exhibita fuit prima dosis remedii specifici ex potu theato cum syrupo persicorum, alvus ab hesterna die nec semel fuit mota, tribus horis elapsis sumpsit alteram dosim specifici; inde ter fuit subducta alvus cum aliquot articulis Taeniae. Cum jam a quatuor horis alvinae excretiones siluissent, exhibita fuit tertia dosis, unde secuta est alvus scybalosa, et in fundo ma-

tulae latuit frustum Taeniae unius ulnae circiter cum dimidia. Summo mane aegrae injectum fuit enema emolliens cum uncia una Sal. anglicani; post horam excrevit ter alvum scybalosam aliquot Taeniae articulis mistam: cum aegra se jam valde debilem senserit, ipsi quietem et diaetam analepticam commendavi; dixi autem, quod, cum vires restauratae fuerint, se de novo curae submittere debeat, quod illa facile annuit. Post tres circiter septimanas, dum iterum articuli Taeniae sponte ab hac foemina fuerunt excreti, refugi de novo ad remedium D. Beck. Ego ipse examinavi omnia medicamenta, et eadem genuina et optime praeparata inveni; hora quarta pomeridiana sumpsit pulverem praeparatorium juxta praescriptionem in praesentia Chirurgi, hora septima jusculo tantum fuit refecta; hora nona post assumptum oleum amygdalinum cubitum discessit et somno hac nocte solito minus tranquillo fruebatur. Hora sexta matutina Chirurgus ipsi exhibuit primam dosim remedii specifici, et desuper vasculum potus theati addita uncia semis syrupi persicorum; a remedio nauseoso male quidem fuit affecta, sed sine nisu ad vomitum; hora octava cum aegra nullum ad alvum deponendam stimulum sentiret, sumpsit se-

cundam remedii specifici dosim, et potum theatum ut supra; post horam sensit borborygmos in abdomine cum torminibus, paulo post subsecutae sunt tres evacuationes, quas ego ibi adveniens attente examinavi, praeter notabilem autem scybalorum copiam, et multos articulos sat largos etiam cohaerentes nihil detexi. Hinc jussi, ut me adhuc praesente tertiam specifici dosim sumat, et si unius horae intervallo vermis loco non moveretur, ut aegrae enema addito Sale anglicano injiceretur. Circa octavam vespertinam cum denuo ad ipsam accessissem, inveni pauperculam multo debilitatam; dum abessem, semel tantum alvum deposuit, licet ipsi enema salinum jam fuerit injectum; quae alvo excrevit, mere aquosa fuerunt cum aliquot latis articulis Taeniae. Suasi ergo, ut jusculo vinoso refecta ad lectum componatur, ea vero, quae de nocte per alvum excernuntur, provide in crastinum asserventur. Altera die matutino tempore inveni aegram adhuc in lecto decumbentem sat hilarem, affirmantemque, se interpolatis vicibus bene dormivisse, et de nocte adhuc sex evacuationes alvinas sat copiosas habuisse. Unde spe fretus, me integrum vermem inventurum omnia attente examinavi; detexi quidem magnam quantitatem articulorum et

frustum longitudinis circiter sex ulnarum, de collo autem seu filo subtiliori nihil comparuit; per tres quatuorve dies adhuc alvo diarrhoica laboravit, in qua simul articuli vermis occurrebant. Nunc ulterioris curae pertaesa, se reliquum naturae committere velle dixit. Mense vix elapso denuo ad me rediit tota pallida, oculis retrotractis, squalidis et inter rivum lacrymarum de novo a me auxilium petiit; accusavit dolorem fixum a cardia ad umbilicum usque, anxietatem et dolorificam palpitationem cordis, spasmodicam hypochondriorum contractionem, copiosae salivae in os affluxum diu noctuque ipsam infestantem, appetitum depravatum et nauseam continuam. Abdomen erat tumidum et ad attactum durum, alvus plerumque segnis. Ex hisce symptomatibus judicavi, quod forte multis paradoxum videbitur, praeter Taeniam in hac persona latitare adhuc sat magnam saburrae copiam; hunc in finem ordinavi mixturam salinam, et ad vesperas enema, quod per singulos dies continuetur. Ut autem de statu aegrae certior fierem, omni die circa vesperas meum assistentem ad illam misi, ut ad omnia quam diligentissime attenderet; hic autem capere non poterat, ubi enormis illa saburrae quantitas, quae duabus etiam tribus vicibus omni

die ex corpore eliminata fuit, locum habere potuerit. Cum septima die mihi retulisset, quod evacuationes rariores fiant, et totum abdomen sit flaccidum; elegi tertia abhinc die methodum Nufferianam, quia aegra priorem jam summopere nauseabat: hora quinta matutina sumpsit pulverem, hora septima bolum; circa nonam incepit inflari abdomen, accessit lipothymia, multi eruperunt flatus, quos tandem secuta est Taenia integra longitudinis septem circiter ulnarum, longitudo fili subtilioris, cujus extremo fini caput adhaesit, dimidiam ulnam superavit; aegra tunc ad lectum composita et jusculo meraco refecta paulo post obdormivit. Post aliquot dies cum ad me rediisset, illam satis hilarem vidi; modo nupta marito optima gaudet valetudine. An propterea remedio magnif. Domini Beck virtus specifica contra Taeniam est deneganda? Longe a me absit talis idaea; omnes enim species, quae ad componendum celeberrimi hujus viri remedium confluunt, jam ab experientia nos de sua virtute convincunt; quod autem in praesenti casu suam energiam praestare non potuerit, ego magnae copiae saburrae in cavo intestinorum collectae adscribo; id ipsum saepius mihi contigit sub usu remedii Nufferiani et aliorum. Hinc mecum constitui, sem-

per antea nidum vermis destruendum, id est, mucum et scybala eliminanda; et ab eo tempore cura plerumque successit feliciori cum eventu.

Haec sunt, quae inter plures alios labores practicos spatio novem annorum de *Taenia lata* in corpore humano nidulante tot repetitis observationibus in corona numerosorum candidatorum medicinae publice institutis annotavi, et nunc mundo literato candide communicare mei muneris esse duxi. Quod tot horas diei praecipue vero noctis non hisce tantum, sed aliis quoque in Schola clinica decumbentibus aegris sacrificaverim, nemo mirabitur, qui perpenderit, me in iisdem aedibus, in quibus aegri pro studio clinico destinati demorabantur, habitassé, unde commodum, mihi certe amaenum, emersit, omnia diu noctuque occurrentia symptomata attente observandi, et iisdem pro ratione circumstantiarum succurrendi: ex omnibus Taenia laborantibus nec unus periit, si foeminam (Cas. XII.) excipio, quae extra nosocomium decubuit: quam, dum prima vice vidi jam morti proximam esse praesenti marito indicavi; et haec ipsa erat, in cujus cadavere situm Taeniae in ipsis intestinis attente observare potui, id quod jam diu antea desideravi. Multo plures circa hanc ma-

teriam observationes in medium proferre potuissem, si illos quoque casus hic in censum adducere voluissem, quos ab anno 1775 annotavi, cum ab *A. A. I. I. Maria Theresia* et *Josepho Secundo* ad Cathedram clinicam vocatus primus pro chirurgis in palatio universitatis theoretica, et in Nosocomio militari Collegia medico clinica publice idiomate germanico tradidi. Benevolus lector non mihi vitio vertet, si pro coronide hic de progressu hujus studii brevem notitiam annecto. Omnes in amplissimo Caesareo regio exercitu servientes Chirurgi primi, secundi et tertii ordinis *) successive a celsissima armorum praefectura ad hunc cursum medico clinicum fuerunt convocati; et omnes in oppidis et pagis, qua late patet Austria et confines provinciae, dispersi Chirurgi in magno numero hic confluebant, et tanta assiduitate tantoque fervore hanc doctrinam hauriebant, ut ego saepius majores corporis et animi vires mihi exoptaverim, quibus ipsorum addiscendi zelo satisfacere potuissem: unde factum, ut brevi haec doctrina fere per totam germaniam fuerit promulgata, et modo a meis discipulis jam in Coloniis americanis **), et in Asia minori ***) feliciter exerceatur. Felix, fausta, fortunataque mihi est, et ad ultimum usque vitae meae halitum.

tum ex mea mente indelebilis erit illa dies, qua *immortalis Imperator Josephus II. augustissima sua praesentia* scholam nostram ex improviso honorare dignatus est, neque hoc per transennam, sed per integram horam; quo temporis intervallo detecto capite summa cum attentione, acsi ipse erudiendus esset, observavit Chirurgos, qui aegros in instituto clinico tractandos susceperunt, quo modo, et ordine quilibet examen penes aegrum suum instituerit, quid de Diagnosi, Prognosi, indicatione et indicatis adferat. Hisce peractis *Sua Majestas* ad publicum auditorium nobiscum *Se* contulit, et ex Cathedra professoris mentem et judicium circa hos morbós benigno vultu excepit; tandem nos deserens omnes auditores adhortatus est, ut inceptum studium generi humano adeo proficuum eodem, quo inceperunt, fervore, prosequantur.

EXEMPLUM CEDRO DIGNUM, CUI SIMILE NULLA ANTEA VIDIT AETAS!

*) *Staabs-, Regiments - und Batallions - Chirurgi.*

**) *D. Rampag et D. Roth.*

***) *D. Grinias.*

Paucis septimanis post eadem hora, quae

pro auditoribus scholae medico clinicae fixa erat, comparuit *Serenissimus Princeps Carolus de Lichtenstein*, *supremus urbis Vindobonensis Praefectus militaris* aliquot Belliducibus superioris ordinis, supremo belli commissario, et pluribus officialibus stipatus: exercitationes nostrae scholasticae supra descripto ordine fuerunt pertractatae; hora elapsa desideravit *Serenissimus Princeps* totus contentus, ut exercitationes clinicae diutius protrahantur, quod etiam per integram adhuc horam lubentissime praestitimus: discedens a schola aeque auditores admonuit, ut laudabili suo zelo firmiter insistant.

Tantorum Hospitum praesentia summopere quidem commotus, nihil minus tamen, quam ad ambitionem fui ductus; probe gnarus invidiam, et ejus pedissequam ingratitudinem haud multum abhinc distare. Hinc diu noctuque studui, ut pectore contra apertas insidias munito auditoribus meis magis magisque utilis fieri possem: non tamen affirmare ausim me Medicinae Doctores formare voluisse, ad quod praeter bene fundatam Philosophiae scientiam multa adhuc studia praevia et summe necessaria requiruntur; viros tamen sisto, qui solidis Therapiae et Pathologiae fundamentis imbuti, judicio practico, quantum intra hoc temporis spatium

fieri potest, ad lectos aegrorum exculti, habiles facti sunt, ut tam in exercitu, quam in provinciis sine periculo et metu nocendi aegris assistere possint; qui capaces sunt, ubi periculum urget, aut morbus diutius durat, claram, et suis numeris absolutam morbi historiam scribendi, et a remoto Physico, aut ab alio in vicinia degente medicinae Doctore consilium petendi? Quid quod per hoc studium medico-clinicum in Chirurgiae ipsius scientia majorem lucem, et firmiorem progressum sibi comparaverint. Post aliquot annos summo cum oblectamento jam tales viros ex hac schola in medium prodire vidi, qui ad professoratum apti expensis caesareis ad exteras etiam universitates fuerunt missi; hic honor inter primos contigit D. Hunschovsky, D. Handwerk, D. Wering, D. Beinl, D. Pecking, et D. Adamo Schmid, quem invida mors praemature caesareo regiae Academiae, suis, et mundo literato eripuit. Virum ob vastam scientiam, ob morum probitatem, et paternum erga aegros animum nestoreis annis dignissimum! Quantum dolui, dum perlegendo orationem in signum luctus publici pro ipso compositam detexi, quod in egregio hoc viro suspecta videri possit vera clinices cognitio, et hoc ex eo, quia claris verbis ibi scriptum est, quod ad col-

legia D. Professoris Stoll accesserit, quoties per propria negotia non fuit impeditus! Quid sperandum est ab observationibus clinicis, quarum filum toties abrumpitur? Certe nihil: ad tuendum defuncti D. Professoris Schmid honorem ego dicam, prout res se habet. Anno 1776 (*ergo multo antequam ad Secretarii munus fuit susceptus*) *Suprema armorum Praefectura* ita jubente D. Adamus Schmid cum suo Chirurgo primario D. Göpfert ad frequentandum cursum medico-clinicum Professoris Reinlein Viennam fuit vocatus; ad quod studium tanta cum diligentia, tantoque ad lectos aegrorum judicio practico incubuit, ut omni laude fuerit dignissimus; quin imo etiam ipse finito cursu scholastico nactus est singularem gratiam se cum suo Professore et toto caetu Chirurgorum primi et secundi ordinis ad pedes *Augustissimi Imperatoris* prosternendi, a quo semper gratiosissimo vultu fuimus suscepti. Non ergo tumultuariam vel raptim hinc inde collectam, (quam labem a piis ipsius cineribus abstersam volo) sed ex fidis patrum nostrorum observationibus erutam, a fide dignissimis ipsorum asseclis jam per tot saecula sinceris ad lectos aegrorum institutis annotationibus, usu, et experientia comprobatam, et in hunc usque diem omnium refor-

matorum minas et impetus eludentem doctrinam medico practicam hausit Schmidius, hanc a triginta sex annis hauserunt omnes alii mei auditores, tamdiu in praxi exercenda fortunati, quamdiu huic doctrinae fideles.

Haec digressio non omnibus displicebit, minime illis, qui gratum possident animum; *nam dulce est fontem noscere, ex quo rivus nostrae fortunae emersit, et divina pene voluptas est illius saepius recordari*: sed renitentibus quid consilii? Pro invidia laborantibus nullum scio remedium, brevi enim semet ipsos consumunt; ingratitudine autem sordidis suadeo, ut jusiurandum Hippocratis saepius legant, et relegant, et sic a grato ethnico ad humanitatem reducantur.

FINIS.




Fig: I.

Taenia lata hom.

Fig: II.

Caput Taeniae sub microscopio.

a. a. a. Oscula papillaria.

b. uncus.

c. pars colli.

Fig III.

a. Organum alimentare.

b. Canalis excrementitius.

c. Ovula.

d. Organum genitale.

ERRATA.

Pag.	lin.	lege	pro
8	14	*autumo*	*autumno*
10	9	*purgantia*	*purguntia*
15	10	*longissimam*	*longissimum*
21	9	*oborta*	*aborta*
41	13	*levem*	*lenem*
48	8	*drachmae*	*druchma*
51	10	*semin*	*lemin*
58	18	*Brassicae*	*Braesicae*
78	25	*dimidiam lineam*	*dimidia linea*
82	14	*communi commista*	*commuui. Commista.*
86	21	*vesicantia*	*vericantia*
92	19	*linctum*	*linotum*
128	25	*foeniculi*	*foeniculis*
167	2	*reperiisse*	*repetisse*
168	*infra*	*prouti*	*proti;*